BVLLA ERECTIONIS, ET PRIVILEGIORVM ALMAE GRANATENSIS ACADEMIÆ;

LITERÆQVE EXECVTORIALES SVPER ea concessæ: atque eiusdem Vniuersitatis, tã commodæ, quam sanctæ Constitutiones.

NEC NON ET REGIA DECRETA, PRÆdictæ Vniuersitatis vtilitatem concernentia.



GRANATÆ,

Ex Typographia Regia, Apud Balthasarem de Bolibar.
Anno Domini M. DC. LII.



TOTA PVLCHRA ES AMICA MEA, ET macula non est in te. Cant. c. 4.

IVRAVI, ET STATVI custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Psalm. 118.

INITIVM SANCTI EVANgelij secundum Ioannem. Cap. I.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Quod factū est in ipso, vita erat, & vita erat lux hominū, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eā nō cōprehēderūt. Fuit homo missus à Deo, cui nomē erat Ioannes. hic venit in testimonium, vt testimoniū perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eū, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Qui nō ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volūtate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST. Et habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

BVLLA ERECTIONIS, ET priuilegiorum Almæ Granatensis Academiæ.

CLemens Episcopus, seruus seruorū Dei ad perpetuam rei memoriam. Copiosus in misericordia Dominus, & in cunctis suis gloriosus operibus, à quo omnia bona defluunt, ad hoc nobis licet immeritis suæ sponsæ vniuersalis Ecclesiæ regimen committere, & nostræ debilitati iugum Apostolicæ seruitutis imponere voluit, vt tāquam de sum-

summo vertice montis ad infima respicientes intuitum, quid pro huiusmodi illustranda Ecclesia, ad fidei orthodoxæ propagationem conferat, quid statui fidelium quorumlibet conueniat, attētius prospiciamus. Et qualiter à fidelibus ipsis, profugatis ignorātię tenebris, illi per donum sapientiæ, in via mandatorū, ac domo Domini conuersari debeāt, solertius attendentes, eos ad quęrēda literarū studia, per quæ militantis Ecclesiæ respublica geritur, diuini nominis, ac eiusdem fidei cultus protēditur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, nostræ solicitudinis ope. Apostolisque fauoribus propensius excitemus. ¶ Sanè charissimus in Christo filius noster Carolus Romanus Imperator semper Augustus, qui etiā Castellæ, legionis, ac Granatæ Rex extitit, suo, & venerabilis fratris nostri moderni Archiepiscopi Granatensis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quòd cùm Regnum Granatæ nonnullis retro actis annis, ex infidelium manibus (diuina concedente bonitate) recuperatum fuerit, ac in ipso Regno, & potissimè in ciuitate Granatensi, multi nouitèr ad fidem Catholicam conuersi habiterit, vt illi bonis moribus imbuantur, & virtutibus ornentur, ac in eis cognitio veritatis, & intelligentiæ splendor inferatur, in ipsoque Regno diuini nominis, & fidei Catholicæ cultus protendatur, plurimum expediat, vt inibi studiū generale vigeāt. Quare dictus Carolus Imperator, suo, & dicti Archiepiscopi nominibus nobis humiliter supplicari fecit, vt in dicta ciuitate, quę propter eius cōmoditates, & conditiones apta ad modū generali studio cēsetur, generale studiū erigere, & instituere, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quòd ex literarum studio, animarum saluti consulitur, & alia spiritualia, & temporalia commoda mundo proueniunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, in ipsa ciuitate generale studium, in quo in qualibet licita facultate legatur, ac omnes gradus cuiuslibet licitę facultatis, prout in Bononiensi, Parisiensi, & Salmanticensi, & Complutensi, ac alijs studiorum generalium Vniuersitatibus conferri, & concedi consueuerint, conferantur, & concedantur. Cum priuilegijs, honoribus, prærrogatiuis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis, alijs studijs generalibus, & illorum Vniuersitatibus concedi solitis, authoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, & instituimus. Ac eidem studio illiusque Vniuersitati, nec nō magistris Bachalaurijs, Rectoribus, & Scholaribus pro tēpore existen-

stentibus,& alijs causa studij inibi commorantibus, vt omnibus, & singulis priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prerogatiuis, concessionibus, fauoribus, & indultis Bononiẽsi, Parisiensi, Salmanticensi prædictis, ac alijs studijs generalibus, & eorum Vniuersitatibus, illarumque Doctoribus, Magistris, Licenciatis, Bachalauris, Rectoribus, & Scholaribus pro tempore existentibus quomodolibet concessis, & concedendis, ac quibus illi de iure, vel de consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, authoritate, & tenore prędictis indulgemus. Nec non præfatum modernum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Granatensem dictæ Vniuersitatis protectorem, & generalem administratorem, authoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus. Ac eidem moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Granatensi, tam pro prima vice, quam ex tunc de cætero, perpetuis futuris temporibus, Vniuersitati, Doctoribus, Magistris, Rectoribus, Scholaribus, & alijs causa studij inibi commorantibus prefatis, iudices commissarios conseruatores, qui de eorum causis ciuilibus, criminalibus, beneficialibus, matrimonialibus, & mixtis, ac alijs quibuscũque, cum earum incidentibus, & dependentibus, annexis, & connexis cognoscere, easque fine debito terminare possint, tã in Romana Curia, quam in partibus illis, quoties ei placuerit nominandi, & deputandi, ac reuocandi, ipsisque iudicibus, commissarijs, & conseruatoribus, sic per eundem Archiepiscopum, & administratorem pro tempore nominatis, & deputatis, quoscumque, cuiuscumque gradus, ordinis, cõditionis, preeminẽtiæ, vel dignitatis existentes, etiam per edicta publica constito summariæ de non tuto accessu, locis affigenda publicis, quæ ipsos perinde arctent, ac si eis personaliter intimata forent citandi, ac quibusuis alijs iudicibus etiam locorũ ordinarijs, & personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, quacumque etiam Apostolica authoritate fungentibus, & sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniarijs, eorum arbitrio imponendis, & applicandis, inhibendi, & in euentum non paritionis, censuras, & pœnas ipsas agrauandi, & reagrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, & auxilium brachij sæcularis si opus fuerit inuocandi, & alia in præmissis necessaria, & oportuna faciendi. Nec non præfato moderno, & pro tempore existẽti Archiepiscopo, pro directione, & ma-

de las palabras: per eundem Archiepiscopum et administratorem pro tempore nominatis et deputatis =

nutentione ſtudij,& Vniuerſitatis huiuſmodi, ac illius perſonarum,quæcumque ſtatuta,& ordinationes licita & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria condendi, & prout qualitas temporum exegerit,& expediens viſum fuerit,reformandi, ac alia de nouo faciendi,quæ poſtquam condita,reformata, immutata, & facta fuerint,eo ipſo authoritate Apoſtolica confirmata ſint, & eſſe cenſeantur,plenam,& liberam dicta authoritate, earundem pręſentium tenore facultatē concedimus.Non obſtantibus quibuſuis Cōſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ac in Prouincialibus,& Synodalibus Concilijs editis generalibus,vel ſpecialibus,nec nō priuilegijs,& indultis Apoſtolicis,quibuſuis perſonis,& locis,ac prædictis, & alijs quibuslibet Vniuerſitatibus, quomodolibet conceſsis,quibus omnibus tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur,præſentibus pro ſufficiēter expreſsis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dūtaxat ſpecialiter,& expreſſe derogamus,cæteriſque cōtrarijs quibuſcumque.Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis,inſtitutionis,indulti,conſtitutionis,deputationis,conceſsionis,& derogationis infringere,vel ei auſu temerariò contraire.Si quis autē hoc attentare præſumpſerit, indignationē omnipotentis Dei,ac Beatorū Petri & Pauli Apoſtolorū eius ſe nouerit incurſurū.Dat.Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo.Pridie idus Iulij Pontificatus noſtri anno octauo.

LITERAE EXECVTORIAles ſuper Bulla præcedenti conceſſæ.

CLemens Epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei,venerabilibus fratribus. Caſertanenſi,& Guadixienſi,ac Almerienſi Epiſcopis,ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, hodiè à nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Clemens Epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuā rei memoriam. Copioſus in miſericordia Dominus, & in cūctis ſuis glorioſus operibus,à quo omnia bona defluunt,ad hoc nobis

licet

licet in meritis, suæ sponsæ, vniuersalis Ecclesiæ regimē committere, & nostræ debilitati iugum Apostolicæ seruitutis imponere voluit, vt tanquam de summo vertice montis ad infima reflectētes intuitū, quid pro huiusmodi illustrāda Ecclesia, ad fidei orthodoxæ propagationē cōferat, quid statui fideliū quorūlibet cōueniat, attētius prospiciamus, & qualiter à fidelibus ipsis, profugatis ignorātię tenebris, illi per donū sapiētiæ, in via mandatorū, ac domo Domini cōuersari debeāt, solertius attēdētes, eos ad quęrēda literarū studia, per quæ militantis Ecclesiæ respublica geritur, diuini nominis, ac eiusdem fidei cultus protēditur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, nostræ solicitudinis ope, Apostolicisque fauoribus propensius excitemus. Sanè charissimus in Christo filius noster Carolus Romanus Imperator semper Augustus, qui etiā Castellæ, Legionis, ac Granatæ Rex extitit, suo, & venerabilis fratris nostri moderni Archiepiscopi Granatensis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod cum Regnum Granatæ nonnullis retro actis annis, ex infidelium manibus (diuina concedente bonitate) recuperatum fuerit, ac in ipso Regno; & potissimè in ciuitate Granatensi; multi nouiter ad fidem Catholicam conuersi habitent, vt illi bonis moribus imbuantur; & virtutibus ornentur, ac in eis cognitio veritatis, & intelligentiæ splendor inseratur, in ipsoque Regno diuini nominis, & fidei Catholicæ cultus protendatur, plurimum expediat, vt inibi studiū generale vigeat. Quare dictus Carolus Imperator, suo, & dicti Archiepiscopi nominibus nobis humiliter supplicari fecit; vt in dicta ciuitate, quę propter eius cōmoditates, & conditiones apta ad modū generali studio cēsetur, generale studiū erigere, & instituere, ac alias in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ex literarum studio, animarum saluti consulitur, & alia spiritualia, & temporalia commoda mundo proueniunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, in ipsa ciuitate generale studium, in quo in qualibet licita facultate legatur, ac omnes gradus cuiuslibet licitę facultatis, prout in Bononiensi, Parisiensi, Salmanticensi, & Complutensi, ac alijs studiorum generalium Vniuersitatibus conferri, & concedi consueuerunt, conferantur, & concedantur cum priuilegijs, honoribus, prærrogatiuis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis, alijs studijs generalibus, & illorum Vniuersitatibus concedi solitis, authoritate Apostolica tenore præsentium erigimus,

&instituimus., ac eidem studio illiusque Vniuersitati, nec nõ magistris, Bachalauris, Rectoribus, & Scholaribus pro tẽpore existentibus, & alijs causa studij inibi commorantibus, vt omnibus, & singulis priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, concessionibus, fauoribus, & indultis, Bononiensi, Parisiensi, & Salmanticensi prædictis, ac alijs studijs generalibus, & eorum Vniuersitatibus, illarumque Doctoribus, Magistris, Licenciatis, Bachalauris, Rectoribus, & Scholaribus pro tempore existentibus; quomodolibet concessis, & concedendis, ac quibus illi de iure, vel consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurũ vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant authoritate, & tenore prædictis indulgemus. Nec non præfatum modernum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Granatensem dictæ Vniuersitatis protectorem, & generalem administratorem, authoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus; ac eidem moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Granatensi, tam pro prima vice, quam ex tunc de cætero, perpetuis futuris tẽporibus, Vniuersitati, Doctoribus, Magistris, Rectoribus, Scholaribus, & alijs causa studij inibi commorantibus præfatis, iudices commissarios, conseruatores, qui de eorum causis ciuilibus, criminalibus, beneficialibus, matrimonialibus, & mixtis, ac alijs quibuscumque, cum earum incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis cognoscere, easque fine debito terminare, tam in Romana Curia, quam in partibus illis, quoties ei placuerit nominandi, & deputandi, ac reuocandi, ipsisque iudicibus commissarijs, & conseruatoribus, sic per eundem Archiepiscopum, & administratorem pro tempore nominatis, & deputatis, quoscũque cuiuscũque gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis existentes, etiam per edicta publica cõstito summariè de nõ tuto accessu locis affigenda publicis, quæ ipsos perinde arctent, ac si eis personaliter intimata forent, citandi, ac quibusuis alijs iudicibus, etiam locorum ordinarijs, & personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, quacũque etiam Apostolica authoritate fungentibus, etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniarijs, eorum arbitrio imponendis, & applicandis, inhibendi, & in euentum non paritionis cẽsuras, & pœnas ipsas agrauandi, & reagrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, & auxilium brachij sæcularis si opus fuerit inuocandi, & alia in premissis necessa-

ria,

ria, & oportuna faciendi, nec non præfato moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo, pro directione, & manutentione studij, & Vniuersitatis huiusmodi, ac illius personarum, quæcumque statuta, & ordinationes, licita, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria condendi, & prout qualitas temporum exegerit, & expediens visum fuerit, reformandi, & immutandi, ac alia de nouo faciendi, quæ postquam cōdita, reformata, immutata, & facta fuerint, eo ipso authoritate Apostolica cōfirmata sint, & esse censeantur, plenā, & liberā dicta authoritate, earūdē pręsentiū tenore facultatē cōcedimus. Non obstātibus quibusuis Cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus, nec nō priuilegijs, & indultis Apostolicis, quibusuis personis, & locis, ac prædictis, & alijs quibuslibet Vniuersitatibus, quomodolibet concessis, quibus omnibus tenores illorum, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficiēter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dūtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque cōtrarijs quibuscumque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, indulti, constitutionis, deputationis, concessionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerariò contraire. Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, ac Beatorū Petri & Pauli Apostolorū eius se nouerit incursurū. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo primo. Pridie idus Iulij Pontificatus nostri anno octauo. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut vnus, vestrū, per vos, vel aliū, seu alios, literas pręlictas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Archiepiscopi, nec non Vniuersitatis dictorum Magistrorum, Bachalariorum, Rectorum, Scholarium, & aliorum pręlictorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis authoritate nostra literas, & in eis contenta huiusmod ifirmiter obseruari, ac singulos quos literæ ipsæ concernunt, illis pacifice gaudere, nō permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem literarum tenorem, quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pęnas Ecclesiasticas, appel-

latione poſtpoſitâ compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus agrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus omnibus ſupra dictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim adicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. P. anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, pridie idus Iulij Pontificatus noſtri anno octauo.

CONSTITVTIONES TAM commodæ, quam ſanctæ Almæ Granatenſis Academiæ.

PROOEMIVM.

GAſpar de Avalos, diuina miſeratione Archiepiſcopus Granatẽſis, ornatiſsimis viris, ac chariſsimis in Chriſto fratribus, & filijs Rectori, & Cancellario, Doctoribus, Magiſtris, Licenciatis, Bachalauris, & reliquis Scholaribus in Granatenſi Vniuerſitate literarum ſcientiam profitentibus, ſalutem in Domino. ¶ Qui leges, & præcepta literis ſcripta hominibus reliquerũt (fratres, ac filij in Domino dilectiſſimi) illud potiſsimũ præ oculis habuiſſe mihi viſi ſunt, vt in multiplici hominum varietate, eorum paci, atque concordiæ conſulerent, vt ex eorum ſecura tranquilitate vniuerſo hominum cætui vtilitates, & commoda prouenirent. Pax enim inter mortales optatiſsimum illud bonum eſt, quod qui aſſecuntur ſe fœlices appellare nõ dubitant. Cum videlicet illius æterni otij, quod in Cœlis promittitur beatitudinem, in terris imitetur, & bona plurima etiam in hac vita ſuppeditet. Cæterum cum varia ſint hominum ingenia, multiplex ſtatus, & conditio, diuerſa rerum officia, & inter ſe non parum diſtantes profeſsiones, ac iuxta Pauli ſententiã, in vno corpore multa ſint membra non eundem actum habentia, vnicam proponere legem, quæ vnicuique certa munia preſcriberet,

beret, conſentaneum erat, vt eorum diſcrimina æquali modera-
mine temperaret. Quod ſi reliqui hominum cœtus certam vniē-
di normam, aut ipſi ſibi ſtatuunt, aut ab alijs ſtatutam recipiunt,
certe hoc veſtrâ ipſorum qui ſapientiam profitemini, maximè
conari decet, vt his vos legibus conſtringatis quibus obtempe-
rantes, & honeſtiſsimè viuere, vt ſapientes decet: & alijs exemplo
eſſe poſitis. Certè quòd ad nos attinet vobis deeſſe noluimus,
quorum honorem, & vtilitatem, ardentiſsimis votis ſemper opta
uimus. Nam cum decimo ab hinc anno litterarum ſtudium, &
Vniuerſitatem, iam pridem ab inuictiſsimo Carolo, primo Hiſ-
paniarum Rege, & Romanorum Imperatore Quinto, in hac vr-
be Granatenſi decretam, fœlicis recordationis Clemēs Papa Sep
timus, ſua authoritate, gratijs, & priuilegijs ſtabiliſſet, nobis leges
in ea condendi, & quod facto opus eſſet ſtatuendi poteſtatem fe-
cit. Et tunc quidem pro nouitate rei, quę non ita plane digeri po-
terat, inſtitutiones quaſdam vobis tradidimus, quas pro tempo-
ris oportunitate commodas eſſe iudicamus. Cæterum cum tem
pus ipſum, iuxta rerū ſubindè naſcentiū, atque creſcentium multi
tudinem, multa plerumque, aut mutare, aut addere compellat,
hoc potiſsimum tempore, cum iam Vniuerſitas noſtra, velut ra-
dices egiſſe videtur. Authoritate Apoſtolica freti, integras denuo
conſtitutiones, vobis ſcribendas, atque tradendas duximus. Par-
tim ex his quas prius condideramus excerptas, partim quas tem-
poris neceſsitas, & rerum ipſarum experientia, mutare, adere, de-
trahere, aut certè exponere ſuadebat. Curam igitur noſtrā æquis
animis accipite, qui veſtræ omnium vtilitati, & honori conſulen-
dum putauimus, & legibus noſtris, quæ æquitatis, & honeſtatis
rationem habent, atque authoritate Apoſtolica ſuffultæ ſunt, li-
benter obtemperate.

PRIMA CONSTITVTIO de electione Rectoris.

IN primis ſtatuimus, & prędicta authoritate
Apoſtolica ordinamus, quod in ſtudio Gra-
natenſi perpetuis tēporibus, vnus ſit Rector,
& conſiliarij ſex quolibet anno. Rector qui-
dem de nobilibus ſtudentibus in Vniuerſita-

te,vel de dignitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ huius ciuitatis, vel Capellanus maior Regiæ Capellæ eiusdem Ecclesię, vel de Doctoribus in Theologia, vel iure, vel de Licenciatis in sacra Theologia,vel iure Canonico,aut Cæsareo,graduatis in hac Vniuersitate: dummodo non sit coniugatus,nec religiosus,nec anno immediatè præterito fuerit Rector,in cuius electione talis seruetur ordo. Pridie festum santi Martini, Rector,ac Consiliarij (prius per Bedelum accersiti) conueniant in claustro præfatæ Vniuersitatis,vbi Rector proponat eis summam,per Notarium de mandato ipsius scriptam,vbi contineantur nomina eorum, qui illo anno,in Rectorem,& Consiliarios eligi posint. Prædictus autem Rector admoneat eos,vt vnusquisque eorum sigilatim,& per se, non communicato consilio,cum alio,vel cũ alijs cogitet, & prævideat,quales personæ sufficientiores,magisque idoneæ erunt ad officium Rectoris,& Consiliariorum. Ipso autem festo sancti Martini, Rector, Cancellarius, & Consiliarij, in Capella dictæ Vniuersitatis congregentur,& dicta prius Missa de Spiritu Sancto, Rector accipiat iuramentum in forma à Cãcellario, & Consiliarijs,quod eligent tres sufficientiores,qui sibi visi fuerint ad officium Rectoris,& sex ad officium Consiliariorum, iuxta normam sequentis constitutionis. In quibus eligendis nullam amicitiæ,affinitatis,aut etiam simulatis,sed solius iustitiæ, vtilitatis, & honoris prædictæ Vniuersitatis rationem habeant. Quodque nullo modo suffragia sua præstabunt, alicui eorum pro quibus, vel ab ipsis,vel ab alijs solicitati,moniti,rogati, subornative fuerint. Quod si contrarium fecerint, si suffragator fuerit Collegialis cuiuscumque Collegij,ipso facto in foro conscientiæ teneatur ad restitutionem eorum,quæ ex Collegio suo, siue ex Vniuersitate percipiat,si vero Collegialis non fuerit,non posit sibi acquirere aliquid ex salarijs,fructibus, obventionibus prædictæ Vniuersitatis. Quo iuramento facto,tres nominẽt personas de supradictis,quæ numerum viginti quinque annorum excedãt,in quorum electione concurrat,suffragium omnium,vel maioris partis eorum,quorum trium nomina,in singulis cedulis scribi faciant, & quælibet earum involvatur in quodam globulo cereo,& ponatur in galero,siue birreto,& prędicti Rector, & Consiliarij, qui tunc affuerint,præfatum galerum expromẽt,& excipient, & in suo claustro,vel prædicta Capella,parvulus quidam (qui per Bedelũ vocabitur) prędictis tribus globulis cereis in dicto galero, siue

ſiue birreto miſsis, præcipiatur mittere manũ in galero, ſiue birreto, & talis paruulus excipiat vnum illorum globorum, quem Prælatus, ſiue Cancellarius eius nomine accipiat, & illico coram omnibus in congregatione exiſtentibus, aperiat, & poſtquam cedula, quæ intra globum erat inuoluta lecta fuerit, illa perſona cuius nomen in præfata cedula ſcriptum erat, illo anno vſque ad feſtũ Beati Martini Rector exiſtat. Et ſi tunc ibidẽ Rector nouus extiterit, aſsignetur ſibi locus proprius, in illo loco, vbi Rector anni elapſi ſedebat, in ſignũ poſſeſsionis, vel quaſi dicti officij. Sed ſi Rector prædictus nouiter electus, ibi in Capella nõ fuerit, duo, vel tres habeant, qui eũ vſque in dictã Capellã cõmittẽtur. Quicũque verò electus fuerit, prędictũ teneatur acceptare officiũ, & iuramentum ſolitum dictæ Vniuerſitatis, in manu Rectoris præcedentis facere teneatur ſub hac pœna, quod ſi officium acceptare noluerit, à conſortio, & congregatione dictæ Vniuerſitatis, & ab honore, & præeminentijs eius, ipſo facto priuatus exiſtat. Volumus inſuper, quod prædictus eligendi modus, de cætero, & in æternum in eligendo Rectorem habeatur, & obſeruetur. Si verò prædictum officium vacare contigerit, per mortem, vel abſentiã, vel alio quouis modo, præfati Conſiliarij ſtatim conueniant, & congregentur in dicto loco, faciãtque nominationem cum globulis cereis, modo prædicto, & prius quam exeant clauſtrum, nominationem officialis vacantis, in publicum edant, cum prædictis ceremonijs.

CONSTITVTIO II. DE forma eligendi Conſiliarios.

CElebrata igitur Rectoris electione, ſtatuimus ſimiliter, & ordinamus, eiſdẽ die, & hora detur præfatis perſonis de Vniuerſitate, in prædicta Capella exiſtentibus, nomina eorum, qui eligi poſsint in Conſiliarios, qui futuri ſint ſex, & toties votauerint, quò ad vſque remaneant electi ſex. Ita tamen, vt duo ad ſummum eligantur ex Collegio Regali. Et vnus ex numero Theologorũ, qui ad minus Licẽtiatus in Artibus, vel Bachalarius in ſacra Theologia exiſtat. Itẽ vnus ex Iuriſtis, ad minus Bachalarius in iure. Vnus ex

Medicis. Vnus ex Artistis, siue in his tribus facultatibus vltimis sint Licenciati, Magistri, vel Doctores, ex eis, qui in Rectorē eligi non possunt. Quiquidem Consiliarij iuramentum solitū præstabunt, qui statim prædictum officium acceptare teneantur, sub pœna Rectori imposita, & alijs prout Rectori, & Cancellario visum fuerit. Item volumus, & ordinamus, quod Rector, & Consiliarij præfati, & eorum quilibet, postquam electionibus de se factis præstiterint consensum, quanto citius poterunt, & eorū quilibet poterit, saltim infra diem naturalem, ab hora præstiti consensus computandum, coram Rectore antiquo, Cōsiliarijs antiquis, & nouis, qui interesse voluerint, ac noui Consiliarij prædicti, in noui Rectoris manibus, Consiliarijs etiam antiquis præsentibus, si voluerint interesse, ac testibus, & tabelione publico præsentibus, iuramentum in modum qui sequitur corporaliter ad sancta Dei Euangelia, tactis sacrosanctis scripturis præstent.

CONSTITVTIO III. IVramentum Rectoris.

EGO. N. Rector huius Almæ Vniuersitatis Granatensis, ab hac hora in antea, fidelis; & obediens ero Beato Petro Apostolorum Principi, & sanctæ Romanæ, ac vniuersali Ecclesiæ, & sanctissimo Domino nostro Papæ Paulo III. eiusque successoribus Canonice intrantibus, necnon dictæ Vniuersitati matri meę. Nec ero in consilio, quod idem Dominus noster Papa, aut aliquis successorum suorum, vitam perdant, aut membrum, vel capiantur. Si verò damnū eius tractari sciuero, pro posse meo impediam ne fiat. Quod si per me impedire non possem, id Domino Papę, & Ecclesiæ, aut Vniuersitati, aut illi, vel illis per quos ad eorum notitiam deducatur significare curabo. Et insuper officium Rectoratus mihi commissum, bene, & fideliter geram, exercebo. Honores, ac iura, vtilitatem, & commoda Vniuersitatis, & studentium, remotis odio, gratia, & fauore, pro viribus procurabo. Pecunias, & alia bona quæcumque Vniuersitatis, quæ in potestate mea fuerint, fideliter seruabo, nec aliquid ex eis expendam, nisi in vtilitatem dictæ Vniuersitatis, & cum officio functus fuero, veram futuris reddā

Rectori,

Rectori,& Consiliarijs rationem. Statuta, & constitutiones huius præfatæ Vniuersitatis seruabo,& faciam proposse ab alijs obseruari, sic me Deus adiubet,& hæc sancta Dei Euangelia.

CONSTITVTIO IV. IVRAmentum Consiliariorum.

OFficium Consiliariatus mihi concessum, bene, & fideliter geram,& exercebo, bonumque, & legale consilium Rectori meo dabo, cum fuero requisitus,& quotiens vocatus fuero ab eodem, veniam ad eius mandatum. Statuta Vniuersitatis proposse meo seruabo,& in factis, & in negotijs eiusdem, auxilium, consilium, & fauorem præstabo, & alia faciam, quæ ad ipsius Consiliariatus officium pertinere cẽseantur, sic me Deus adiubet,& hæc sancta Dei Euangelia.

CONSTITVTIO V. DE forma eligendi Deputatos.

ITem statuimus, quod in hac Vniuersitate sint duodecim Deputati, quorum sex sint ex Cathedrarijs,& alij sex de corpore eiusdem. Qui esse poterint de Doctoribus, Magistris, Licentiatis. Bachalarijs graduatis in dicta Vniuersitate,& de Scholaribus in ea studentibus, & de Canonicis,& portionarijs Ecclesiæ Metropolitanæ huius ciuitatis,& de Capellanis Regalis Capellæ eiusdem, & quod posſint esse ex qualibet Diœcesi huius Regni duo,& non vltra, non tamen de necesſitate ex qualibet Diœcesi debeant esse duo. Et sint naturales horum Regnorũ Castellæ,& Legionis, Toleti,& Prouinciæ Bœticæ: ita quod de naturalibus huius ciuitatis nõ posſint esse, nisi duo,& de Regno Valentiæ vnus,& de Regno Aragonũ alius,& de Regno Portugaliæ alius. In quorum electione talis seruetur modus. Scilicet, quod in duplo numero nominentur, quorum nomina in singulas schedulas scribantur, quæ inuoluantur in singulis globulis cereis seruata forma, qualitatibus,& cõditioni-

tionibus eligendorum consideratis, de quibus in electione Conſiliariorom mentio facta eſt, & prædicti duodecim globuli cerei, ſtatim ponantur in alia capſula cum ſuis ſigilis, & cum alijs duabus capſulis, vbi nomina Rectoris, & Cõſiliariorũ ſunt poſita, & ponantur in arca dicti ſtudij, vſque ad feſtũ Diui Martini, & poſtquam publicata fuerit Rectoris electio, & Conſiliariorũ, illico electio Deputatorũ publicetur: qui Deputati, nouiter nominati, ſtatim dictũ officiũ acceptare teneantur, ſub pœna in Cõſiliariorũ electione prætaxata, ac iuramẽtum ſolitũ preſtare. Et ſi eo anno officiũ alicuius Deputati vacare contigerit, duo nominentur idonei ad officiũ exercendum, quorum nomina in ſingulis ſchedulis ſcribantur, & in ſingulis globulis cereis involvãtur, & veniẽs parvulus quidã excipiat à galero, vel birreto vnum globulum, & fiat publicatio Deputati, eo modo ſeruato, qui in electione Rectoris ſeruatur. Deputati autem hi Vniuerſitatẽ faciant, ita quod quidquid per ipſos, aut per maiorem eorum partem decretũ, deliberatumvè fuerit, validum ſit, ac robur cum firmitate habeat, ac ſi per totã Vniuerſitatẽ fieret, præterquamquod nouas conſtitutiones, vel noua ſtatuta facere nequeant, neque Vniuerſitatis bona, ſiue iura alienare, vel obligare, neque ex eius pecunia, aut bonis quidquam emere, nec de aliquo gratiam, vel remiſsionem facere, niſi ad hoc omnes Doctores, Magiſtri, & Licentiati in dicta ciuitate exiſtentes, ſpecialiter ſint vocati, quorum conſilio, iudicio, & aſſenſu, ſupra dicta, & non aliter facere valeant.

CONSTITVTIO VI. DE dignitate Cancellarij.

ITem ſtatuimus, quod Cancellarius huius Vniuerſitatis nullus eſſe poſsit, niſi fuerit Presbyter, vir grauis, & doctus in ſacra Theologia, aut iure, qui Rectori præponatur in repetitionibus, & in examinibus priuatis Licentiandorum, & in colatione graduum, Licentiæ, Magiſterij, & Doctoratus in qualibet facultate. In cæteris verò Rector eum antecelat, tam in ſedendo, quam in loquendo.

CONS-

CONSTITVTIO VII. DE iurameто Rectori præstãdo à Doctoribus, Magistris, & Licentiatis, & Scholaribus.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Rector in principio sui officij, infra sex dies post sui creationem, faciat per Scholas moneri publice Licentiatos, Collegiales omnes, Bachalarios, & studentes vniuersos, etiam Beneficiatos in Ecclesia Granatensi. Vt infra sex dies huiusmodi, omnes, & singuli veniant ad iurandum, prout inferius est scriptũ. Et si prædictum præstare recusauerint, aut neglexerint infra ipsos sex dies iuramentum, sint ipsis elapsis à consortio Vniuersitatis priuati, quo ad omne suum commodum, & honorem, donec iuramenti vinculo se astrinxerint, quos sic priuatos, Rector faciat nominatim per vniuersas scholas publice denuntiari. Magistri autem, & Doctores, nec non Cancellarius, & omnes Cathedrarij, & Regentes iuramentum præstabunt, de obediendo Rectori, aut in ipsa die sancti Martini, post electionem noui Rectoris, aut in primo claustro si cõgregetur infra octo dies à prædicto festo, sin minus ad hoc specialiter infra dictos octo dies per Rectorem congregetur, vbi facto iuramento scribentur in Chatalogo, siue matricula per Notarium, pro quo nihil soluturi sunt. Et si prefati Cancellarius, Doctores, Magistri, Cathedrarij, & Regẽtes, euocati prius de mandato Rectoris per Bedelum, venire contempserint, præter pœnas superius consignitas à perceptione sui salarij ex Cathedrarum, & lecturarum intuitu, & quibuscunque obventionibus, pretextu dignitatis, aut officij alicuius, in Vniuersitate eisdem debitis sint priuati, & penitus alieni, donec obedierint, atque iurauerint prædicto Rectori in forma sequẽti. ¶ Ego. N. iuro Deum, & sancta Dei Euangelia corporaliter per me gratis tacta, quod vobis Domino Rectori meo, & omnibus, & singulis mandatis vestris in licitis, & honestis obediam, & in negotijs, & factis Vniuersitatis, consilium, auxilium, & fauorem fideliter præstabo, nec prædicta contra ipsam Vniuersitatem, seu eius bonum statum alicui dabo. Ac aduocationem vestram ve-

niam, toties quoties fuero requisitus, constitutionesque seruabo, sic me Deus adiubet, & hęc sancta Dei Euangelia. ¶ Omnes tamen absentes à prædicta Vniuersitate, vel nouiter venientes, infra prædictum tempus sex dierũ, postquam sibi notum fuerit, forma prædicta iurare teneantur, omnes autẽ sic iurantes scribantur in matricula, à tabelione de Rectoris mãdato facienda. Et si huiusmodi iuramentũ præstãtes alibi graduati fuerint, vel scholares huius Vniuersitatis non beneficiati in Theologia, vel in vtroque iure, quatuor dupondios (vulgariter marauedis nuncupatos) præstabunt, beneficiati vero quinque dignitatẽ habentes octo, Medici autem, Logici, Philosophi, & Grammatici, tres dupondios quilibet præstabunt. Et huius pecuniæ summa reddita ratione prius per Rectorẽ infra quindecim dies à fine sui officij Rectori futuro, in tres diuidatur partes, quarũ vna arcæ Vniuersitatis applicetur, altera Rectori, alia verò inter tabelionẽ & Bedelũ ęqualiter diuidatur. Verũ si qui de studentibus, tam existentibus in studio, quam superuenientibus in pręstando prædicto iuramẽto Rectori rebeles fuerint denuntiati, priuati à dictæ Vniuersitatis cõsortio, vlterius in sua perdurauerint contumatia, tunc administrator vel eius locum tenens, ad dicti requisitionem Rectoris, Canonica monitione præmissa, dictos rebeles excomunicet, & faciat per scholas excomunicatos publice denuntiari, Rectorem autem in Domino exortamus, quod in recipiẽdo huiusmodi iuramento, ac puniendo rebeles sit solicitus, & intentus.

CONSTITVTIO VIII. DE reuerentia debita Rectori, Cancellario, Doctoribus, & Magistris.

RVrsus quoniam maiores nostri multo honorẽ sunt afficiendi, ordinamus, quod omnes Licẽtiati, Collegiales cuiuscunque Collegij, Bachalarij, & Scholares nostræ Vniuersitatis, reuerentiam Rectori, Cancellario, Doctoribus omnibus, & Magistris, professoribus dictæ Vniuersitatis debite exhibeant, singulis temporibus, locis, & actibus opportunis, publicè, vel oculte. Ne quouis modo eorum

honori

honori detrahatur. Si quis verò (quod Deus auertat) contra fecerit à gradu Bachalariatus, Licentiæ, vel Doctoratus quem habere deſiderat repellatur, nec ad illum admitti valeat, quominus ſic iniuriato, iuxta Vniuerſitatis beneplacitū ſatisfaciat. Quod pariformiter in incorporandis, in quouis gradu volumus obſeruari.

CONSTITVTIO IX. DE abſentia Rectoris, & Conſiliariorum.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi dictum Rectorem infra annum ſui regiminis, ex cauſa rationabili ab ſtudio ſe abſentare contingat, & infra menſium duorum ſpatium, quibus ipſe idem officium regi, & gubernari facere poſsit per aliū, quē de conſilio Conſiliariorum, vel maioris partis ipſorum elegerit, a quo tale iuramentum recipere, in præſentia Conſiliariorum, vel maioris partis eorūdem teneatur, quale ipſe pręſtitit. Et ſi non redierit electio noua de alio fiat: niſi pro Vniuerſitatis negotijs, vel alia iuſta, & rationabili cauſa, & de Conſiliariorum, vel maioris partis eorundem licētia, ipſum abſentari contingat. Super qua licentia concedenda, prædictorū Conſiliariorum conſcientiam oneramus. Et in vocatione ſcholarium, & alijs dictam electionem cōcernentibus dicto caſu, vel ſi Rectorem ab hac luce migrare, vel alio quouis modo officium ipſius Rectoris vacare contingat, Conſiliarij, vel præſentium maior pars ſuppleant vices eiuſdem, donec ſit de Rectore prouiſum, teneanturque ſcholares omnes, & ſinguli eiſdē Conſiliarijs obedire, ac ipſi Conſiliarij infra duos dies poſtquam Rectoris officium, vel ſubſtituti vacauerit, modo prædicto nouum Rectorem ſub pœna periurij eligere, prout ſupra in cōſtitutione de electione Rectoris per omnia & ſingula cauetur. Et parimodo Vniuerſitati publicare tenantur. Cuius Rectoris officium durabit vſque ad proximum ſequens feſtum Diui Martini. Inſuper ſi contingat aliquis ex Conſiliarijs ſe abſentare, per eūdem dimittatur de Rectoris conſilio ſubſtitutus, qui præſtabit in Rectoris manibus iuramentum coram tabelione, & Conſiliarijs ſæpè dictis, prout ipſe

ſe

se præstitit principalis, eadem per omnia qualitate seruata in substitutis, quæ in principalibus obseruatur. Si verò talis Consiliarius viam vniuersæ carnis fuerit ingressus, alius loco eius eligatur, eisdem ordine, & modo seruatis, qui in Rectoris obitu est signatus, cũ hoc etiam, quod Consiliarius, qui successerit in demortui locũ sit eiusdem facultatis, & etiam, qui succedit loco absentis.

CONSTITVTIO X. DE sessionibus, & antelationibus Doctorum, & Magistrorum.

AMplius etiam ambitionis, aut simultatuum causas, quæ circa prælationes, & sedendi loca suboriri solent præcidere volẽtes, statuimus, quod quotiescũque Doctores, vel Magistri ad claustrum euocari, vel in processionibus, pompis, & cæteris officijs, quæ in comitando Rectore præstari debent, & solent (exceptis his, quæ in cõstitutione de dignitate Cancellarij expressa sunt) congregari contingerit, talis seruetur ordo. Rector manum teneat dexteram, Cancellarius verò leuam, Doctores verò Theologi, & iuris Põtificij, vel Cæsarei, secundum suorum graduum antiquitatem locum teneant inter se. Et prædicti Doctores Theologi, & Iuristæ, præcedãt reliquos Doctores in Medicina, & Magistros in Artibus, quamuis in susceptione graduum moderniores extiterint. Post quos sequantur Medici secũdum suas antiquitates, Medicisque succedant Magistri Artium, inter quos vt quisque maximè antiquus in gradu fuerit, ita primum locum obtineat, tam in claustro, quam in reliquis sessionibus, & actibus. Circa Licentiatos autem, & Bachalarios (vbi conuenire tenentur) prærrogatiua secundum graduum antiquitatem seruetur, iuxta formam in Doctoribus & Magistris traditam.

CONS-

CONSTITVTIO XI. DE tempore conueniendi in claustrum.

VT autem honori, atque vtilitati nostræ prædictæ Vniuersitatis frequentius, ac commodius consulatur; maiori diligentia ergà eam à Rectore, Cācellario, Doctoribus, & Magistris adhibita, statuimus insuper vt singulis Sabbatis primis vniuscuiusque mensis, prædictus Rector faciat, vt per Bedelum euocentur illi, qui ad claustrum conuenire tenentur, ad consulendum, referendum, atque tractandū de redditibus, sumptibus, moribus, reformatione, & de alijs omnibus, quæ pro tēpore necessaria, atque vtilia visa fuerint prædictæ Vniuersitati. Quod si aliqua alia specialis causa ocurrerit, de qua prædicta Vniuersitas sit cōsulenda, posit prædictus Rector ad claustrum conuocare, quotiens sibi visum fuerit. Ita tamen, quod tradat cedulam propria manu signatam Bedelo, in qua exprimatur causa pro qua euocantur, & quo die, & quota hora conuenturi sunt. Qui autē sic accersiti ad claustra ordinaria in præfatis Sabbatis (cessante legitimo impedimento) non venerint, pœna duorum argenteorum multentur, ex primis obventionibus, quæ illis obvenerint, qui duo argentei nullo modo à Rectore, aut Vniuersitate remitti, cōdonariuè posint, sed cedant in vtilitatem arcæ Vniuersitatis. Cæterum si ad alia claustra specialia a Rectore indicta non venerint, subeant pœnam à Rectore prætaxatam, similiter irremisibilem, & in arcam Vniuersitatis mittendam, super quibus pœnis conscientiam præfati Rectoris oneramus. Qui verò in claustrum congregandi sunt, vltra Rectorem, & Cancellarium, sunt omnes Doctores huius Vniuersitatis, & Decanus facultatis Artium, etiam si Regens non fuerit, & Cathedrarius Grammaticæ nostrę Ecclesiæ Metropolitanæ Granatensis, dummodo sit Magister Artium in hac Vniuersitate, Regentes Artium si fuerint Magistri eiusdem Vniuersitatis.

CONSTITVTIO XII. DE feſtiuitatibus Vniuerſitatis.

CVm omnibus ſanctis ab omnibus Chriſtianis debitus honor ſit impendendus, præcipuè tamē eos ſingulari deuotione proſequi tenemur, quos ſpecialibus prærrogatiuis nobis patronos eſſe cognouimus. Hinc eſt, quod literarum, & ſcientiæ munus profitentes ſanctum Lucam, Beatam Catherinam, ſanctumque Nicolaum venerari, & colere moris habet. Quare ſtatuimus vt pridie feſtum ſancti Lucæ, Bedelus de mandato Rectoris admoneat Cancellarium Doctores, Magiſtros, Licentiatos, Collegiales omnes cuiuſuis Collegij, Bachalarios, & Scholares Vniuerſitatis, vt ſub pœna pręſtiti iuramēti, conueniant in ipſo feſto ſancti Lucæ, hora à Rectore Vniuerſitatis ſignata, ad comitandum ipſum Rectorem, & ad audiendam orationem Latinam, quam Regens Grammaticæ habere tenetur. In feſtiuitatibus autem Beatæ Catherinę, & ſancti Nicolai talis ſeruetur ordo. Pridie prædictarum feſtiuitatum Bedelus item de mandato Rectoris, conuocabit omnes ſupra dictos, vt conueniant hora, & loco ſignatis (vt inde omnes per ordinem ſuum comitentur, & reducant Rectorem) ad horas veſpertinas, & ſequenti die ad Miſſam. Quam celebrauit aliquis ex Doctoribus, Licentiatis in Theologia, vel iure, aut Cathedrarijs Vniuerſitatis, cui Rector iniunxerit, agento officium Diaconatus, & Subdiaconatus, duo ex Magiſtris Artium quos Rector elegerit. Habebit autem contionem vnus ex Doctoribus Theologis, qui inuicem ſuccedent, ſecundum antiquitatem eorum, & omnes, ac ſinguli ad ſuum officium exequendum teneantur. Qui autem ſecus fecerint, præter pœnam præſtiti iuramenti, incurrant etiam in pœnam, quam Rector illis irrogauerit pro arca Vniuerſitatis. Feſtū autem ſanctæ Catherinæ celebrabitur in ęde Diuorum Iuſti & Paſtoris, quo omnes Rectorem comitantes ibunt pedes tres. Feſtum verò ſancti Nicolai agetur in Eccleſia ſua, ad quam prædicti comitantes æques tres ſe conferant cum Rectore. Cæterum in his tribus feſtiuitatibus, nullus ex prædictis Doctoribus, ſeu

Magiſ-

Magistris deferet insignia suæ facultatis præter Rectorem, qui propter dignitatem ibit ornatus ephestride Rectorali quam mucetam vocant.

CONSTITVTIO XIII. DE ratione reddenda à Rectore.

quantity of [illegible] Rector expende

STatuimus etiam, quod Rector sine consensu Vniuersitatis, & Consiliariorum, posit expendere mille nummos (quos vulgo marauedis dicimus) duntaxat in vtilitatem Vniuersitatis. Cæterum cum consensu Consiliariorum tria millia, in alijs verò sumptibus prædictam summam excedentibus nihil agere posit, absque consilio Vniuersitatis, vel maioris partis, qui Rector finito suo officio, sub pœna periurij reddat rationem cum effectu infra mensem, de his, quæ durante officio, quomodolibet obvenerunt nouo Rectori, & Consiliarijs. Etsi Rector ipse reddita huiusmodi ratione, in aliquo obligatus, seu obnoxius repertus fuerit; illud infra triduum in Vniuersitatis arca ponere, & nouo successori in officio tradere sub pœna præstiti iuramenti teneatur.

CONSTITVTIO XIV. DE Lectionum horis, & ordine.

QVoniam autem in lectionibus, tam ad legentiũ, quam audientium commodum, certum quẽdam ordinem pręscribere necessarium est, quia quod ordine caret, durabile, atque perpetuum esse non potest. Statuimus vt duo Cathedrarij sacræ Theologiæ, scilicet, & iuris Canonici, qui habent præbendas ad hoc asignatas, in choro nostræ Ecclesiæ maioris Granatensis, legant suas lectiones manè hora prima, duo verò alij Cathedrarij Theologiæ, & iuris Capellani in Regia Capella, suas itidem post meridiem hora vesperorum legere teneantur. Volumus etiam, quod Rector de Consiliariorũ consilio, vel maiores partis ipsorum, Doctoribus, Magistris, & Licẽtiatis, ac

Bacha-

Bachalarijs, tam legentibus pro ſtipendijs, quam alijs Cathedras & Scholas aſsignet ad legendum. Et ſi aliquam controuerſiam ſuper ipſis Cathedris, & Scholis, vel lecturis, & legentium ſalario, forſan inter legentes emergi, ex cauſis quibuſcumque contingat, ipſam Rector idem audiat, determinet, & decidat, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſuper quo conſcientiam eius oneramus. Prædictis verò legentibus pro ſtipēdio, & de nouo creatis Rector cum Conſiliarijs, horā, vel horas idoneas aſsignabunt. Quilibet autem lector hora integra legere tenebitur.

CONSTITVTIO XV. DE ſodalitate, ac fraternitate Doctorum, ac Cathedrariorum.

ET quia tanto magis opera Charitatis exercere, atque præſtare quiſque tenetur, quanto ſapientiæ ſtudioſior, & literarum extiterit. Et qui vnā ſapientiam profitentur, vno Charitatis vinculo maximè omniū copulari decet. Statuimus, vt quoties aliquem ex his, qui in clauſtro conueniunt, ſiue Notarium & Bedelos infirmari contigerit, Doctores Theologi quemcumque prædictus infirmus vocauerit, audire eius confeſsionem, & Sacramentum Pœnitentiæ illis ſubminiſtrare, & in rebus ad conſcientiam prædicti infirmantis pertinentibus intendere. Similiter ex Medicis vnus, aut duo quos infirmus adhibere voluerit, teneantur ad illum curandum durante infirmitate. Pari etiam modo Iuriſtę in his, quæ concernunt eorum officium, in dandis conſilijs ſuper litibus, in conſcribēdis libellis, ſiue informationibus, aduocationibus, & reliquis, huiuſmodi operam ſuam præſtare teneātur, quicumque vocatus fuerit ſingulis eorū, qui cum vel eos vocauerit. Teneatur etiam Regens Grammaticę, ſi aliquis prædictorum Dominorum de clauſtro orationē eleganti modo compoſitam habere voluerit, in actu, vel actibus publicis eam componere, & petenti, vel petentibus exhibere. Item prædictus Cathedrarius Grammaticæ, habeat orationem ſolitā in feſto ſancti Lucæ, quam principium appellare ſolent. Prædicti autem Doctores Theologi, Iuriſte, & Medici, ac Grammaticæ

Cathe-

Cathedrarius,pro talibus officijs, nihil pretij,aut emolumēti,ab his quibus talia officia præstiterint reposcere possint, aut debeāt.

CONSTITVTIO XVI. DE funeribus.

ET quoniā Doctoribus,& Cathedrarijs de nostra Vniuersitate benemeritis,tum in vita, tum etiam in morte meritū honorem exhibere consentaneum ducimus. Statuimus,&ordinamus, quod quando aliquem ex Doctoribus, aut Cathedrarijs prædictis, ex hac vita migrare cōtigerit,conueniat ad eius funus tota Vniuersitas sub pœna præstiti iuramēti,præmonita prius ad id per aliquē ex Bedelis.Et assignetur a Rectore dies vna,in qua cōueniēte similiter Vniuersitate, dicatur Missa solēnis pro anima defuncti,& fiat cōtio publica funebris,per vnū ex Doctoribus Theologis,incipiēdo ab antiquiori, & sic deinceps suo ordine.Qui autē nō venerit ad prædictas exequias soluat tres argēteos,qui expēdantur pro anima defuncti,& Rector ad eorū executionem teneatur. Itē in funeribus Bedelorū,& tabelionis conueniat tota Vniuersitas. In funeribus autem Scholarium ipsi,& Bachalarij duntaxat interesse teneantur.

CONSTITVTIO XVII. DE vnione facultatuum.

ORdinamus etiam,vt circa distributionem redditūum,ex omnium graduum colorationibus in vsum facultatis cuiuscunque prouenientium, talis modus adhibeatur. Eligatur vnus ex Doctoribus Theologis,Iuristis,& Medicis simul, qui recipiat,& retineat omnia illa, quæ ex prædictis gradibus his tribus facultatibus obuenerint. Item eligatur alius ex Artistis seorsum,qui prædictas obventiones sibi cōpetētes accipiat,& custodiat. Qui videlicet redditus, & obventiones distribuendæ sunt,omnibus, & singulis Rectorem con i:tanti-

bus

bus in quatuor festiuitatibus sancti Lucæ, sancti Martini, sanctæ Catherinæ, sancti Nicolai, vnicuique pro rata, & debita portione. Quam distributionem facient Rector, & Decani prædictarũ facultatuum, accepta prius computatione ab illis penes, quos talis obventionum summa collecta fuerit.

CONSTITVTIO XVIII: de his qui pluribus gradibus, aut dignitatibus sunt decorati.

STatuimus præterea, quod si aliquis plures supremos gradus, aut plures dignitates obtinuerit in redditibus, & obventionibus, quæ ex gradibus Vniuersitatis proueniunt, nõ possit gerere vicem duarum personarum, & tali prætextu duplicia iura, aut duplicem propinã percipere, sed ea omnia perinde, ac si vnum gradum supremum habuerit obtineat. Quod idem seruandum est in Rectore, & Cãcellario, qui etiam si Doctores fuerint, redditibus, & obventionibus ad dignitatem duntaxat pertinentibus potiantur.

CONSTITVTIO XIX. QVI sunt præferendi quando concurrunt plures petentes gradum.

STatuimus pręterea, vt cum aliquis Bachalarius in iure, aut Medicina, voluerit ad Licentiæ gradum, vel Licentiatus aliquis in prædictis facultatibus ad Doctoratum ascendere, talis promouendus teneatur prius (si qui sunt alij antiquiores, præsentes in ista ciuitate Granatensi) citare eos per literas Cancellarij, si velint ad prædictos gradus promoueri, & expectare responsum eorũ per duodecim dies, infra quos si antiquior, vel antiquiores voluerit, vel voluerint prædictos gradus accipere, faciant depositum in manibus Rectoris expensarũ

omnium

omnium ad prædictum gradum pertinentium, & aſsignetur duodecim dies alteri ad ſuſcipiendum gradum, qui ſi infra duodecim alios dies à die præſentationis, & depoſiti computandos gradum non receperit, perdat ius ſuæ antiquitatis; & tale depoſitum diſtribuendum ſolito modo arcæ, facultati, Doctoribus, & Magiſtris Vniuerſitatis. Citatis verò (ſi vnus vel plures fuerint) non reſpondentibus intra prædictos dies à citatione computandos, talis gradum petens liberè illum accipiat, & præferatur cęteris poſtea gradum Licentiæ, vel Doctoratus accepturis, quamuis ante ipſum Bachalarij, vel Licentiati creati fuerint.

CONSTITVTIO XX. DE incorporandis.

PRęterea ſtatuimus, & ordinamus, inhibentes ne aliquis ad gradum Bachalariatus, Licentiatus, Magiſterij, vel Doctoratus, in quacumque facultate graduari, incorporari, vel aſſumi valeat in hac noſtra Vniuerſitate, niſi prius de ſuis curſibus, vel titulis fides Rectori; & Vniuerſitati pateat, quibus publice ſe præſentet. Nec ipſis facultas, ſeu licētia dictos gradus ſuſcipiēdi, vel in eis incorporādi tribuatur, quin pri⁹ exponat pro arca Vniuerſitatis, pro Rectore, Cancellario, ſingulisque Doctoribus, & Magiſtris Regentibus, & non Regentibus, & officialibus Vniuerſitatis iura ſibi debita, ſicut in his noſtris cōſtitutionibus inferius cauetur. Prohibentes ſub pœna excommunicationis, ne ipſi Rector, Cancellarius, vel Doctores, Magiſtri, & officiales poſsint eis dictarum expenſarum, & iurium remiſſionem aliquam facere in totum, vel in parte. Quin primo tenecātur dicta iura recipere, & ea poſsidere ſaltim per tres dies. Nec aliquis prædictorū promittat, nec verbum aliquod directè, vel indirectè præſtet, nec alio quouis colore, vel cautela ſignificet, ſe redditurum, vel remiſſurū in toto, vel in parte dicta iura. Etſi aliquis graduandus, vel incorporandus per ſe, vel per interpoſitam perſonam directè, vel indirectè, tentauerit poſtulare ab eiſdem Rectore, Cancellario, Doctoribus, Magiſtris, & officialibus, & alijs perſonis quibus iura debentur remiſsionem eorum iurium, ipſo facto reddatur inhabilis ad prædictum gradum conſequendum,

dum, saltim per tres annos continuos sequentes, hac nostra constitutione, nihilominus in suo robore permansura.

CONSTITVTIO XXI. DE modo cum incorporandis seruando.

STatuimus item circa eos, qui ex alijs Vniuersitatibus, aut studijs priuatis, in hanc nostrã gradum accepturi se contulerint, vt cursus Bachalariatus in alia quauis Vniuersitate facti admittantur in nostra. Qui autem fuerint iam Bachalarij in iure, aut Medicina in Vniuersitatibus Parisiensi, Bononiensi, Salmãticensi, Valisoletana, Complutensi, aut Montis pesulana, & atulerint cursus in prædictis Vniuersitatibus, ad Licentiaturam admittantur. Ita tamen vt teneantur facere actus repetitionis, & examinis, vt requiritur in ea facultate, secundum has nostras constitutiones, & iura soluant. Quod si quis actum, vel actos factos habuerit in prædictis sex Vniuersitatibus, & constiterit de eis per authenticam scripturam, aut per duos testes oculatos, aut per vnum cum iuramento eiusdem Licentiandi, tales actus admittantur in nostra Vniuersitate, dummodo subeat examen priuatum, & soluat iura. Si tamen fuerit Licentiatus in iure, vel Medicina in prædictis sex Vniuersitatibus, incorporetur in eodem gradu, solutis prius iuribus, & expensis in eodem gradu requisitis. Duobus autem concurrentibus antiquior præponatur. Qui tamen fuerint Licentiati in alijs Vniuersitatibus præter sex supra dictas, teneantur ad examen priuatum, & soluant iura. Quicumque autem fuerint Doctores in vna prædictarum sex Vniuersitatuum, incorporentur in eodem gradu; solutis prius iuribus ad eundem duntaxat gradum pertinentibus, alij verò neutiquam admittantur ad incorporationem. In Theologiæ verò facultate quantum attinet ad cursus omnia supra dicta seruentur, tam ad Baehalariatum, quam ad Licentiaturam. Cæterum quantum ad incorporationem, qui fuerint iam Bachalarij, vel Licentiati in Parisiensi Vniuersitate, Salmãticensi, Valisoletana, vel Complutensi duntaxat admittantur. Actus verò facti

in

in prædictis quatuor Vniuersitatibus recipiantur, quorum virtute possint gradum licentiæ accipere, etiam extra tempus assignatum ab Vniuersitate pro Licentiandis de ipsa Vniuersitate. Cum hoc tamen, quod Licentiandi de nostra Vniuersitate, habeant pro se sex menses ante diem signatum sibi ad gradum Licentiæ accipiendum. Quod si aliquis extraneus concurrat, non possit intra prædictos sex menses antiquitatem illorum sibi vendicare, & si concurrerit seruetur tenor nostræ Vniuersitatis. Actus autem facti extra prædictas quatuor Vniuersitates, nullo modo admittantur, quin prius in hac nostra omnes actus requisitos faciat. Ex illis quatuor Vniuersitatibus Licentiati, & Doctores ad incorporationem admittantur, vt supra dictum est. Volumus insuper, quod si aliqui venerint ad obtinendam aliquam ex Cathedris huius Vniuersitatis, aut fuerint electi ad Canonicatus, siue Capellanias Magistrales, aut Doctorales (quia tales Canonici eliguntur ad regendas Cathedras primarias sacræ Theologiæ, & iuris Canonici, & præfati Capellani ad regēdas Cathedras Vesperorum in eisdem facultatibus in hac Vniuersitate) ex quibuscumque Vniuersitatibus venerint graduati, admittantur ad incorporationem in quibuscumque gradibus, perinde vt ex alijs supra nominatis. Item quoties aliquis Licentiatus ex aliqua Vniuersitate prædictarum in hac nostra incorporari voluerit, & concurrat cum eo Bachalarius huius Vniuersitatis, qui iam fecerit omnes actus inclusiue, qui requiruntur ad Licentiaturam, præter examen priuatum in iure, & Medicina, & vltimū actū in Theologia, tunc Licentiatus extra aduenieus incorporetur, prius quā talis Bachalarius ex nostratibus licentietur. Verum si talis Bachalarius iam omnes suos actus absoluerit inclusiue, & signata sibi fuerint puncta ad examen priuatum, in tali casu volumus nostratem Bachalarium creari Licentiatum, antequam Licentiatus aliunde veniens incorporetur. Qui si fuerit Licentiatus in alijs Vniuersitatibus non prædictis, & aliquis Bachalarius ex nostratibus, qui habet suos cursus, & actus confectos; velit tunc ad licentiæ gradum promoueri, teneatur infra quindecim dies fieri Licentiatus, antequā talis Licentiatus incorporetur, facto prius deposito omnium iurium, & obventionum, vt supra dictum est. Volumus præterea, quod si Licentiatus nostræ Vniuersitatis concurrerit cum Doctore, cuiuslibet alterius Vniuersitatis,

tatis, Licentiatus noster præferatur Doctori extraneo ad gradum Doctoratus suscipiendum. Ita tamen, vt talis Licentiatus faciat depositum expensarum, & fiat Doctor infra quindecim dies, aliter incurrat in pœnam supradictam.

CONSTITVTIO XXII. DE Grammaticis ad altiores facultates ascendentibus.

ITem volumus & ordinamus, quod nullus studens in iure Canonico, vel Ciuili, vel Artibus lucretur aliquem cursum in prædictis facultatibus, nec gradum Bachalariatus in hac nostra Vniuersitate assumatur, nisi in Grammaticalibus fuerit competenter instructus, & examinatus prius per Cathedrarium Grammaticæ nostræ Ecclesiæ maioris Granatensis, super quo conscientiam eius honeramus. Quod nisi talis studens attulerit literas approbatorias à prædicto Cathedrario signatas, non lucretur cursum aliquem ad gradum Bachalariatus. Quas literas approbatorias debet prædictus lator tradere Bedelo, qui aut seruabit, aut scribet se accepisse. Examinatus autem conferat prædicto examinatori dimidium argentum, quo amplius nihil recipere possit, super quo eius conscientiam etiam oneramus.

CONSTITVTIO XXIII. de gradu Bachalariatus, Iuristis, & Medicis concedendo.

ITem statuimus ne antiquorum præeminentiam prætereamus, quod nullus Scholaris in Pontificeo, ac Cæssareo, & Medicina possit gradum Bachalariatus recipere, nisi à Doctore antiquiore suæ facultatis, qui præsens eo tunc fuerit in ciuitate. Quod si aliquis graduandus voluerit

rit ab alio, quam à Decano gradum accipere posiit licentia, & cō sensu ipsius Decani, dummodo soluat prædicto Decano iura sibi debita pro tali gradu. Decano verò absente, vel impedito a b alio antiquiore gradus concedatur, & si contigerit antiquiorem infirmari, taliter, quod non posiit per se gradum conferre, succedat antiquior post eum, cui etiam iura soluantur.

CONSTITVTIO XXIV.

sub cuius disciplina debeat quis accipere gradum Licentiatus, aut Doctoratus in Theologia, iure, & Medicina.

CÆterum statuimus, & ordinamus, quod nullus Licentiandus, vel Doctorandus in sacra Theologia, vel iure, vel Medicina, hos gradus suscipere posiit, nisi sub disciplina antiquioris Doctoris illius facultatis. Et si contigerit ipsum antiquiorem, vel quemlibet alium loco illius succedentem absentem esse per octo leucas ab ista ciuitate, non amplius talis graduandus teneatur facere per literas Cancellarij ipsum accersiri, & accersitus per quatuor dies spectetur, infra quos ipso Doctore antiquiore non veniente, antiquior post eum debeat interesse examini, & gradibus, vt Patrinus. Si verò antiquior predictus infirmitate detentus fuerit, antiquior item post eum asisitat examini, & gradibus, & accipiat iura, & obventiones, pertinentes ad Patrinum: prædictus verò antiquior infirmus sicut vnus ex Doctoribus eiusdem facultatis.

CONS-

CONSTITVTIO XXV.

quot Doctores debent intereſſe examini priuato Licentiandi.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ad examē cuiuſcumque Licentiandi in iure Pontificeo, vel Ceſſareo, ſeu Medicina, omnes Doctores eiuſdem facultatis cōueniant, & pautiores, quā quatuor vltra præſentantem minimè interſint, eruntque ad minus omnes quinque. In Theologia verò, & Artibus, ſint etiam preſentes omnes, & tres Doctores, vel Magiſtri vltra præſentantem ad minus conueniant, ita vt ſint numero quaternario. Quod ſi aliquis prædictorum Doctorum eiuſdem facultatis non interfuerit examini, etiam ſi infirmitate detentus ſit, nihil percipiat ex expenſis, & obvētionibus, quæ in tali actu, & gradu conferri ſolet. Prædicto autem numero reſpectiue ſignato ad inuento, nullus alterius facultatis Doctor, vel Magiſter ad prædictum examen conuocetur. Si tamen prætaxatus numerus profeſſorum cuiuslibet facultatis non fuerit repertus, tunc loco ipſorum alij Doctores, vel Magiſtri per illius facultatis profeſſores hoc ordine rogati, vocentur rogati. In examine ſiquidem Iuriſtarum Magiſtri ſacræ Theologiæ, atque in eorum defectu Magiſtri in Artibus, vſque ad prætaxatum numerum accerſiri debeant. In Artibus verò Magiſtri in Artibus, & Doctores in Medicina conuocentur, & in Magiſtrorum defectu Doctores Theologi. In examinibus verò Theologiæ, vocentur iurium Doctores, vnuſquiſque autem Doctor, vel Magiſter, iuxta ſuam antiquitatem ſucceſsiue vocetur. Ita tamē, quod antiquior prius, deinde alij ſecundum ordinem ſuæ promotionis, & ſic ſucceſsio fiat in his vocationibus, quibus huiuſmodi omnes gaudeant. Quod ſi antiquior ſubrogandus fuerit abſens per octo leucas, per literas Cancellarij impenſa Licentiandi euocari debeat, vt in conſtitutione præcedenti ſimili modo eſt ſtatutum. Etſi adhuc iſti ſubrogandi de facultatibus prædictis defuerint, alij Doctores, vel Magiſtri propinquioris facultatis adducantur, ſua vt præmiſſum eſt antiquitate ſeruata. Ille autem Doctor, vel Magiſter, qui ſi vocatus extiterit, excuſatione quauis propulſa (niſi in firmi-

firmitatis causa præpeditus) venire non recuset, & ad id si recusauerit per Rectorem, & Vniuersitatem compellatur. Quibus sic subrogatis omnia iura, & sumptus perinde sicut professoribus propriæ facultatis persoluantur.

CONSTITVTIO XXVI.

de cursibus ad gradum Bachalariatus in iure requisitis, & eius expensis.

STatuimus etiam, quod nullus studens in iure Canonico, vel Ciuili ad gradum Bachalariatus in hac Vniuersitate promoueatur, nisi per quinque annos, vel maiorem partem anni cuiuslibet eorum, huiusmodi ius Canonicum, vel Ciuile audierit, & decem lectiones publice legerit in Scholis, totidem publicis diebus, & si forte aliquis studens cursum in aliquo annorum prędictorum non compleuerit, possit in anno sequenti, vel sequentibus, mediatè, vel immediatis annis supplere. Quæ in futuris, & etiam præteritis cursibus, tã studentium ad gradum Bachalariatus, quam Bachalariorũ ad examen priuatum volumus extendi. Qui autem cursus ad prædictũ effęctum sint admittendi, supra in alia Constitutione est cautũ. Qui verò contra huiusmodi Constitutionis tenorem, ad prædictum gradum ascendere præsumpserit, prædicti gradus careat cõmodo, & honore pro Bachalario nullatenus habeatur. Rectorẽ autem, qui talem Scholarem ad huiusmodi gradum Bachalariatus admitti fecerit, scienter præter periurij reatum, decem florenorum pœnam, in vtilitatem arcæ Vniuersitatis conuertendorũ, irremissibiliter incurrere volumus ipso facto. ¶ Iura autem que talis Bachalariandus soluturus est, sunt quæ sequuntur. Videlicet pro arca Vniuersitatis vnum castellanum. Pro facultate vnum florenum. Patrino dabit vnum ducatum. Bedelis vnum florenum. Et tabelioni alium pro instrumento conficiendo.

CONSTITVTIO XXVII. de Licentiandis in iure, eorumque curſibus, ac iuribus in tali gradu perſoluendis.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod Bachalarij volentes in iure Pōtificeo, vel Cæſſareo ad examen priuatum pro licentia ad gradum Doctoratus obtinendum conſcendere, prius per quinque annos, vel eorum maiorem partem, publice de ſua facultate in ſcholis, vel alio quouis ſtudio generali ſe legiſſe, aut ſtuduiſſe, aut practicaſſe in aliqua ex Regijs Audientijs per quinquenium, vel maiorem partem inſinuēt. Ita vt quilibet annus, aut maior pars pro vnu curſu computetur, ſi verò quid curſandum in vno anno fuerit ab ipſis omiſſum, in ſequenti anno poſsit illud ſupplere, curſum verò ipſorum fidem plenam haberi volumus per duos teſtes. Faciant inſuper vnam famoſam repetitionem, publice legendo in Scholis, in loco ad hoc deputato, ad minus per horam, & dimidiam, & vltra dictum tempus in eum argumentari debent duo Bachalarij eiuſdem facultatis, per ipſum electi, quam faciendam prius Rectori, Cācellario, alijsque Doctoribus, & Magiſtris de Vniuerſitate notificēt. Cōcluſiones verò ipſius repetitionis octo diebus ante eam Doctori Patrino tribuātur, qui vt Patrinus debet prædictæ repetitioni præſidere, pro quo Licentiandus ſoluet ei vnum florenū, Bedelis verò ſingulis duos argenteos. Quibus expeditis per Doctorem antiquiorem ſuæ facultatis, ad examen priuatum ad iſtum gradum ſuſcipiēdum præſentetur, recipiaturque ſiue admittatur per alios Doctores ſuæ facultatis. In ipſo autem examine, & in omnibus alijs priuatis examinibus Rector interſit, ſecundumque locum obtineat poſt Cancellarium. Volumus etiam, quod in prædictis curſibus, & repetitione nulla omnino remiſsio fieri poſsit per Vniuerſitatem. ¶ Sumptus autem, qui in gradu Licentiaturæ faciendi ſunt, erunt huiuſmodi. Pro arca, ſcilicet, Vniuerſitatis quatuor ducati aurei. Pro facultate quatuor floreni. Cancellario duo aurei ducati. Rectori verò, & ſingulis Doctoribus illius facultatis,

vnus

vnus aureus ducatus, & vnus cereus quatuor libras appendens dabitur, similiter, & similis cereus Cancellario. Insuper singulis prædictorum dabitur talis propina, par caponum, par gallinarum, libra vna confectionis saccarreæ, & altera diacitronis, duodecim panes, congius vnus vini albi, & alter sub nigri, qui Hispane dicitur azumbre, Patrinus in omnibus duplam portionem habebit, magis quam cæteri Doctores illius facultatis, Notarius accipiet vnum florenum, & mediam propinam. Vterque Bedelorum simul duos florenos, & mediam propinam diuident inter se. Doctoribus alterius facultatis, qui comittabuntur Licentiandum cũ suis insignijs, dabuntur singulis argentei quatuor, ita tamen vt teneantur comittare Licentiandum cum venerit ad suscipiendum gradum. Magistri verò Regentes Artium, pro tali concomitãtia accipient ternos argenteos, dummodo deferant insignia filaminum super pilea, nec ad alia insignia ferenda teneantur. Item vltra prædicta omnia pro nocte examinis priuati tenebitur Licentiandus dare Bedelis pro Cancellario, Rectore, & pro quolibet Doctore, qui interfuerit dicto examini vnam libram diacitronis, & alteram saccareæ confectionis, tantumdem dabitur pro Notario & Bedelis, ita vt dimidiam partem obtineat Notarius, reliquam dimidiam ambo Bedeli, vinum autem dabitur necessarium.

CONSTITVTIO XXVIII. de modo in examine seruando Licentiandi in iure.

PRæterea statuimus, quod die Veneris, vel alia qua visum fuerit Rectori, Cancellario, & Vniuersitati ante examinationem cuiusuis Licentiandi in iure Pontificeo, vel Cæsareo, Rector, Cancellarius, Patrinus, cæterique examinatores vocati per Bedelum, cum Licentiando in loco examinis per Rectorẽ, & Vniuersitatem destinatum conueniant, ibi primum Licentiandus genibusflexis humiliter vna cũ Doctoribus Missam de Spiritu Sancto audiat, qua finita asignẽtur sibi puncta, vel lectiones, ad examen subeundum hoc ordine. In iure Pontificeo in libro decretorum, & maiori volumine. In

Cæsareo

Cæsareo verò in libro Codicis, & Digesti veteris. Quorum librorum quilibet ter apperiatur, primus tamen per Cancellarium, secundus per Patrinum. Primæ autem lectiones in Decretalibus, & Codice assignentur, secundæ verò in Decreto, & Digesto veteri. Et hoc obseruato, quòd Licentiandus in locis sic assignatis, titulum pro voluntate sua eligat, Patrinus autem legem, vel capitulum illi assignet. Quæ puncta per tabellionem Vniuersitatis annotata, cuilibet Doctorum tradantur. Quod, & circa Medicos obseruari volumus, seruata tamen forma assignandi puncta, sicut in suis Constitutionibus cauetur. Die autem sequenti ad vesperum ante examinis ingressum, Rector, Cancellarius, Patrinus, cum alijs de dicto studio ad honorandum Licentiandum conuenientibus in domum ipsius proficiscantur, cumque concommittentur eques tres vel pedestres (prout eis visum fuerit) vsque à prædictum examinis locum. Recipiantque examinandum habitu honesto togatum. At cum omnes extranei fuerint exclussi, incipiat prædictus Licentiandus cum Dei adiutorio, & modestia debita, quoad vsque assignatas sibi lectiones finiat legere, in quarum prima consumat vnam horam, & in secunda dimidiam. Finita tamen prima lectione quatuor moderniores Doctores teneantur argumentari, incipiendo a moderniori, vnusquisque per tria media duntaxat. Cæterum si aliquis ex antiquioribus voluerit arguere, possit quo loco ei placuerit, etiã ante magis modernos id facere, per alia item tria media non amplius. Finitis autem argumentis antequam secũdam lectionem incipiat, ministretur prædictis Cancellario, Rectori, Patrino, & examinatoribus collatio iuxta Constitutionem aliam. Prohibentes sub pœna præstiti iuramenti, ne quidquam aliud eis exhibeatur. Quibus lectionibus, & examinatione à Doctoribus adiuncta finitis, Licentiando à conclaui excluso Cancellarius cum Doctoribus, simulque præsente Rectore, secum tractent, & conferant de sufficiẽtia, & literas approbatorias, vel reprobatorias, per. A. vel. R. mox Notarius efferat Licentiando, & tunc poterit se in domum conferre.

CONS,

CONSTITVTIO XXIX. de ordine ſeruando in die licentiæ.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſequenti die Dominica, vel alia die qua viſum fuerit Rectori; Rector, & Cancellarius, cum Doctoribus, & Magiſtris, & Licētiando, alijsque perſonis committantibus à domo ipſius Licentiati cum ſuis inſignibus, in domum Cancellarij pergant, & inde ad dicti examinis locum conueniant, vbi Licentiando relicto, dicti Cancellarius, Rector, Patrinus, & examinatores, ſeorſum conferant de Licentiandi ſufficientia, quidvè de illo diſponi debeat iterum tractaturi. Et protinus accerſito Licentiando per Cancellarium, vel alium de eius licētia, id quod ab eis definitum, decretumque fuerit in medium proferatur, & quæ ibidem fuerint ſibi manifeſtata ſub iuramenti vinculo dictus Licentiandus celare teneatur. Iuret inſuper Licentiandus in manu tabellionis, ea quæ his noſtris conſtitutionibus de forma Licentiandorum, & Doctorum continentur. Quibus expeditis omnes Doctores cum Cancellario, alijsque ibi exiſtentibus ad deſtinatum locum redeant, & ibi ſedentibus togatis, ſtans Licentiandus humiliter licentiam ſibi dari poſcat. Quo expedito, vniuerſi, tam Rector, Cancellarius, & Doctores, & Magiſtri nouum Licentiatum vſque in domum ſuam committentur, cum macis, & Bedelis, pedeſtres, vel equæſtres. Quod etiam vniformiter cum Licentiandis in Theologia, & Medicina circa ſuum Collegium obſeruetur.

CONSTITVTIO XXX. de iuramento Licentiandi in quacunque facultate.

STatuimus, quod quicunque Licentiandus in quauis facultate, prius iurare teneatur se nō dedisse, nec promisisse, nec se daturum, vel promissurum, per se, vel per alium alicui Doctori, vel Magistrorum, Cancellario, Rectori, vel alicui alij pecuniam, munus, vel aliquid aliud, intuitu suscipiendi gradum, præterquam id, quod secundum has nostras constitutiones tenetur dare. Quod si cōtrarium fuerit repertum licentiæ priuatus honore ab Vniuersitate repellatur.

CONSTITVTIO. XXXI. de forma iuramenti Licentiandorum, Magistrandorum, & Doctorandorum.

VOlumus etiam, quod forma iuramenti à Licentiando præstandi talis sit. Ego. N. iuro Deum, & Crucem per me corporaliter tactam, ac sacra Dei Euangelia. Quod sanctissimo Domino nostro Papæ, eiusque successoribus Canonicè intrantibus, & Imperatori Regi nostro inuictissimo, necnon illustri, ac Reuerendissimo Domino Domino Archiepiscopo Granatensi, huius Vniuersitatis Protectori, & Domino Rectori, fidelis, & obediens ero. Honorem, & reuerentiam huius Almæ Vniuersitatis, omniumque, & singulorum de ea, quo ad vita mihi comes fuerit, pro viribus procurabo, ac defendam. Et nullo quouis modo fauorem, auxilium, vel consiliū, aut patrocinium alicui personæ, vel Vniuersitati, aut Collegio contra dictam Vniuersitatem, nec contra singulas personas eiusdē præstabo, nec inducā. Imò damna; & detrimēta eorū procul euitabo.

euitabo. Et gradum Doctoratus alibique in hac Vniuersitate nõ recipiam. Insuper iuro, quod si eminente necessitate, lectorũ Cathedrarũ dictæ Vniuersitatis, ad regendam aliquam ipsarum vocatus fuero, minimè recusabo, cessante legitimo impedimento, & nullum aliud salarium nisi prætaxatum postulabo. Pariformiter iuro me obseruaturũ in omnibus, & per omnia, cõstitutiones, & statuta, edita, vel ædenda huius Almæ Vniursitatis. Cæterum iuro, quod omnium iuramentorũ supradictorum, dispensationẽ, absolutionẽ, vel relaxationem eorum, vel alicuius clausulæ, minimè procurabo, quouis modo, vel colore, vel occasione, & si motu proprio mihi concedatur, vel aliàs me insciente relaxatio, absolutio, vel dispensatio huiusmodi fuerit expedita, eam anullabo, & casabo. Et contra prædictum iuramentum eam aliquando nõ inducam. Quod si fortè induxero, non solum iuramenti fractor existam, verum super his in dicta Vniuersitate me non audiri in præsenti affirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia, simile omnino erit iuramentum Magistrorum, & Doctorum, hoc tantum excepto, quod non iurabunt se non alibi recepturos gradus Magisterij, & Doctoratus.

CONSTITVTIO XXXII. de Doctorandis in iure Pontificeo, vel Cæsareo.

PRæterea statuimus, & ordinamus, quod Doctorandus in iure Pontificeo, vel Cæsareo ante diem deputatum ad sui gradus receptionẽ, trophæum construi faciat, in loco ab Vniuersitate designato, vt moris est. Faciatque publicè per Bedelum de sui gradus assumptione denũtiari. Vespere vero ante diem gradus, omnes de Vniuersitate cõueniant in locum decretum, cum Rectore, & Patrino, qui æquestres in domum Doctorandi se conferant, & inde exeuntes veniant per domum Cancellarij, qui etiam cum prædictis teneatur per ciuitatẽ comittari Doctorandum ipsum æqui sessorem, quẽ capite discooperto, veste talari, & cum capitio, serico, absque insignijs suæ facultatis, Patrino habitu Doctorali induto, Doctoribusque

busque alijs, & Magistris deferent. Simulque incidetes, Doctor, Patrinus, cum Rectore, Cancellario, & Doctoribus. Ita tamen, quod ante assumptionem gradus Patrinus dexteram, Doctorãdus verò leuam teneat. Post assumptionem verò gradus ècõtra eos sequuntur Cancellarius, & Rector, Cancellarius scilicet ad dexteram, & Rector ad leuam. Deinde statim Doctores eiusdẽ facultatis, & Magistri in Theologia secundum suas antiquitates, post quos sequentur Medici, & tandem Magistri Artium, vt dictum est in alia nostra cõstitutione. Quo relicto committabunbuntur Cancellarium, & Rectorem vsque ad locum Vniuersitatis. Sequẽti verò die omnes Doctores, & Magistri (vt dictum est) in domum Doctorandi se conferant, indeque exeuntes Doctoralibus, & Magistralibus insignijs ornati, simul cum Doctorando equæstres in domum Patrini eant. Quo assumpto in domum Cancellarij perueniant, & inde omnes simul ad locum deputatum ad gradus susceptionem accedant; ibique omnes sedeant iuxta suas antiquitates, suo ordine, vt in alia constitutione de sessionibus, & antelationibus statutum est. Doctorandus verò infra tronum, medius duorum Licentiatorum ex Collegio Regali, de mandato Cancellarij ventilet, & discutiat ad vtranque partẽ, aliquam subtilem conclusionem, quæ sibi placuerit, & eam decidat prout sibi de iure videbitur. Contra quam arguet primo Rector, deinde duo Licentiati, vel Bachalarij ab ipso inuitati, quibus argumentis non tenebitur respõdere. Quo finito statim immediatè per aliquem de graduatis in Vniuersitate fiat examẽ iocosum, & finaliter commendatio seriosa de virtutibus ipsius Doctorandi, prout in similibus actibus fieri consueuit. Deinde eleganti oratione à præfato Cancellario, Doctorandus gradum postulet. Patrinus autem ipsum Cancellarium, oratione quadam ad illud faciendum, & ad concedendum sibi facultatem tribuendi insignia exoret. Moxque Cancellarius oratione habita de virtutibus Doctorandi gradũ sibi conferat. Quo finito, & recepto nouus Doctor tronum conscendat, ibique genibus flexis iuramentum præstabit, prout supra in constitutione de forma iuramenti dictum est. Et Doctor Patrinus nouum Doctorem sex insignijs decorabit. Primo birretum in capite insignum coronæ, & excellentiæ Doctoralis dignitatis imponens. Deinde anulum aureum in eius manu ponat, ad insinuandum desponsationem, & coniunctionẽ perpetuam, & dilectionẽ cum sciẽtia, & professione, cuius nouus

pro-

professor efficitũr. Tertio eũ medium inter ipsum, & Canecllariũ collocabit, in signum quod securus in Cathedris debeat docere. Quarto librũ exhibeat, vt intelligat, quod studere, legere, & profiteri debeat. Quinto dabit ei osculum pacis, ad indicandum mutuam dilectionem, & fraternitatem, & charitatem. Demum paternalem benedictionem impendet. Quibus finitis exurgens novus Doctor, osculo Patrino primo accepto, Cancellariũ, & Rectorem, & deinde omnes Doctores ad dexterã sedentes, postea alios ad sinistrã existentes deosculetur. Et demũ novus Doctor in sedẽ suã reddeat, & habita oratione de gratiarum actione, discedant omnes cum prædicto nouo Doctore in domum suã. Indeque cõmittantes Rectorẽ vsque in domum suã discedant. Qui verò nõ cõmittabũt Rectorẽ multentur tribus argẽteis. ¶ Quod autẽ attinet ad expensas in prædicto gradu faciendas, talis obseruetur modus. Dabũtur Rectori duodecim aurei ducati, quos Rector ipse mittat in arcam Vniuersitatis. In vsum facultatis cedẽt sex ducati cum dimidio. Rector verò, & quilibet Doctor illius facultatis, accipiet triginta quinque argenteos, Patrino dabitur duplum, Cancellario dabuntur quinquaginta tres argentei. Reliqui Doctores aliarum facultatuum, habebunt singuli decem & septem argenteos cum dimidio. Regentes verò Artium nouen argẽteos. Tantumdem dabitur Decano facultatis, etiam si Regens non fuerit. Cæteris Magistris Artium non Regentibus tres argentei duntaxat. Notario dentur tres ducati. Totidem accipiant ambo Bedeli. Vltra quas expensas Rectori, Cancellario, Patrino, & Doctoribus, ac Regentibus singulis, dabitur birretum cum chirotecis. Notario, & Bedelis chirotecæ tantum. Propina autem, quæ loco prandij dari debet talis erit. Cancellario, Rectori, & Doctoribus eiusdem facultatis par caponum, par gallinarum, libra vna diacitronis, & saccareæ confectionis altera libra, panes duodecim, vna matreta vini albi, altera nigri, quæ dicitur azumbre. Patrino verò huius duplum. Alijs Doctoribus aliarum facultatum, & Regentibus, & Decano Artium, Notario, & Bedelis dimidia propina vnicuique eorum. Quæ omnia prædicta non accipiant, si non committentur Doctorandum, cessante legitimo impedimento, videlicet infirmitatis, aut si in aliquo negotio, de mãdato Vniuersitatis occupati fuerint, siue detenti.

CONSTITVTIO XXXIII.

de curſibus, & examine Bachalariádorum in Artibus.

STatuimus, quod qui admittendi ſunt ad Bachalariatum in Artibus, probent ſe feciſſe curſus requiſitos ad talem gradum, videlicet, quod audierint in hac Vniuerſitate, vel probent ſe alibi audiuiſſe ſumulas Petri Hiſpani, & magnam Logicam Ariſtoteles, & in Philoſophia octo libros Phyſ:corum incluſiue. Quibus curſibus per actis, atque legitimè probatis, facultas Magiſtrorum Artium congregabitur quolibet anno, vltima die menſis Aprilis, ad eligendum tres examinatores Bachalariorum, quorum vnus ad minus regẽs Artium in hac Vniuerſitate fuerit, & alius Doctor in Theologia, & Magiſter Artium, & alius ex Magiſtris Vniuerſitatis. Cũ hoc tamen, quod vnus tantum ex prædictis tribus, ſit ex Collegio Regali, & in defectu prædictorum poſsint alij eligi, nec vllus dictorum examinatorum ſit actu regens, niſi defuerint Magiſtri: & præfati examinatores, poſtquam fuerint electi præſtabunt iuramentum in præſentia facultatis, quod ſecundum Deum, & bonam conſcientiam approbabunt dignos, & indignos reprobabũt. Item quod hoc examen non fiet niſi ſemel in anno, & eligentur examinatores poſtquam Regens in Phyloſophia illius anni compleuerit octo libros Phyſicorum. Fiet autem examen modo Pariſienſi hoc modo. Quod examinandus ſedebit in loco humili coram examinatoribus, capite detecto. Et primus examinatorum pro libris ſumularum quæret de veritate, vel falſitate alicuius ſophiſmatis, & ad reſponſionem quam dabit examinandus ſolus ille examinator arguet, vno vel pluribus medijs. Deinde ſecundus tentator quærat ab eo pro libro prædicabilium Porphirij, vel textum alicuius capituli, vel authoritatem aliquam eiuſdem, vel aliquid pertinens ad illum librum, ad quam quæſtionem memoriter reſpondebit examinandus, & contra reſponſionem arguet ſolus ille examinator. Conſequenter alius Magiſter, quæret, & arguet eodem modo circa librum prædicamentorum, & ſic deinceps procedetur per libros Logicales, ſeruato ordine tam librorum,

rum,quam Magiſtrorum.In Phyſicis autem formabunt examinatores ſingula media in concluſionem Phyſicam, ſumptam ex libris Phyſicorum,quam examinandus propoſuerit,& corroborauerit in principio ſui examinis authoritate Ariſtotelica, & ratione,& ibi finiatur examen.Quo finito Magiſtri examinatores conueniant,coram Decano facultatis,& ſecreto conferant inter ſe,an ille ſit ſufficiens,& admittendus,quod ſi ita decreuerint omnes,vel mayor pars eorum,ſignent cedulam, quā præfatus ſcholaris accipiat à Regente ſuo,pro teſtificatione auditionis librorū requiſitorum ad talem gradum.Dabitur autem Decano facultatis à quolibet approbato, dimidium argenteum. Ex examinatis omnibus Bachalaureandis,vt prędfertur aſsignetur dies in quo præſentibus Notario, & Bedelis Regens ipſorum det omnibus illis,& in ſimul gradum,ſolutis prius omnibus expenſis.

CONSTITVTIO XXXIV. de expenſis Bachalariorum in Artibus.

CÆterum pro præfato gradu Bachalariatus in Artibus,ſtatuimus,quod vnuſquiſque Bachalaureus,ſolvat pro arca Vniuerſitatis vnum florenum.Pro facultate Magiſtrorum in Artibus vnum florenum.Et pro ſuo Regente duos florenos. Et pro examinatoribus alium florenū, æqualiter diuidendum inter eos.Pro Notario dimidium florenū. & pro Bedelis alium dimidium.Itaque expenſę ordinariæ, & neceſſariæ vnius Bachalarij Artiſtæ,non excedent ſex florenos. Itē præcipimus,& mandamus,quod tam Magiſter Bachalariandorum,quam Magiſtri examinatores, necnon Notarius,aut Bedeli,nullo modo poſsint per ſe,nec per alios directè, nec indirectè, exigere,aut vexare,vel petere à prædictis Bachalariandis aliquid aliud,præter ſummam taxatam in hac noſtra conſtitutione. Sub pœna viginti florenorum pro arca Vniuerſitatis. Cæterum ſi aliquis Bachalariandorum,vltro,& ſponte, aliquid aliud prædictis donauerit,in tali caſu poſsint illud impune recipere.

CONSTITVTIO XXXV: de curſibus, & examine Licentiandorum in Artibus.

POſt Bachalariatum, qui voluerit ad gradum Licentię peruenire, teneatur continuare lectiones, vſque ad finem Phyloſophiæ naturalis, ſub Regente eiuſdem facultatis. Sic videlicet, quod antequam admittatur ad examen Licētiæ, poſtquam fuerit Bachalaureus in Artibus, audieritque libros de Cœlo, & mundo Ariſtotelis, & libros de generatione, & corruptione, & metheororum, atque libros de anima, & parua naturalia eiuſdem audierit, ſex libros Methaphyſicæ eiuſdem Ariſtotelis, & libros ſex Philoſophiæ moralis eiuſdem, curſumque communē Mathematicarum, cū textu Sphere Ioannis de Sacrobuſto. His autem omnibus auditis teneātur omnes Bachalaurij volentes Licentiari, reſpondere bis in concluſionibus, quarum primas appellant reſponſiones magnas, alteras verò reſponſiones parvas. Reſponſiones autem magnæ auſpicandæ ſunt, altera die ſtatim poſt feſtum Beati Ioannis Baptiſtæ, & tam magnæ, quam paruæ perficiantur ſub feſtum Beati Iacobi. Hoc tamen ſervato, quod in reſponſionibus magnis ſolus Regens Licentiandorum debet præſidere, & diſponentur Bachalaurij arbitrio Regentis ſui per quinarios hoc modo. Quod primus Bachalaureus primi quinarij defendet quæſtiones in Logica. Secundus in doctrina octo librorum Phyſicorum. Tertius in naturali Philoſophia, de reſiduis libris à libris Phyſicorū. Quartus in Methaphyſica. Quintus in doctrina moralium. Ad quas quæſtiones inuitentur ad arguendum Magiſtri, & Doctores Theologiæ, Artium, & Medicinæ, ita quod nulli alij arguant. Infra iſtos gradus conſimiliter fiet in alijs quinarijs, quouſque peractæ fuerint omnes reſponſiones magnæ. Et quoniam actus hic in Artibus liberalibus ſolemniſsimus eſt, in ebdomada non fiet niſi vnicus, ſi nō acciderit vrgens ac rationabilis cauſa, ob quam ad ſummum fiāt duo. In reſponſionibus autem parvis, quæ fient poſt completas reſponſiones magnas, non neceſſario præſidebit Regens Licentiandorum, ſed poterit præſidere aliquis alius de Regentibus in

Arti-

Artibus, defendentque suas quæstiones per quinarios, disponenturque pro materijs defendendis, sicuti inter eos conuenerit, vel disponentur à suo Regente. Arguet in his responsionibus parvis contra Bachalarios intrantes vnus Magister, postquã Bachalauri probauerint quæstiones suas, & responderint argumentis præsidentis, deinde permittetur alijs Bachalarijs, intrantibus vt argumententur, nec alijs Bachalarijsque intrantibus. Expensæ in responsionibus magnis sunt, quod Regens habebit à quolibet Bachalauro respondente vnum florenum, Bedelus autem duos argenteos. In responsionibus autem paruis nullæ sunt expẽsæ. Peractis responsionibus maioribus, & minoribus congregabitur facultas Artium, in vigilia natiuitatis Beatę Virginis, & eligentur quinque Magistri examinatores, quorum vnus ad minus sit Regens actu, vel fuerit Regens, & ex prædictis quinque posint esse duo ad summum ex Collegio Regali. Nec posit Magister Licẽtiandorum esse examinator, nisi in magna penuria Magistrorũ. Et postridie tale festũ inchoetur examen, & durabit ad summũ vsque ad decimũ diem Octobris, ita quod omnes Licentiãdi sint graduati in die sancti Lucæ. Examen autẽ fiat hoc modo prædicti quinque Magistri, cũ Cancellario (si fuerit Doctor in Theologia, sin minus loco Cancellarij Doctor quidam in Theologia, tenebit vices Cancellarij in examine) examinabunt Licẽtiandos in Logicis, & Physicis, eundẽ ordinẽ, & modũ penitus obseruando, qui dictus est in examine Bachalariandorũ, hoc tamen excepto, quod hic non proponitur sophisma. In quatuor autem partibus Philosophiæ naturalis, scilicet in libris de Cœlo & mũdo, de generatione, & corruptione, in libris Methcororũ, & de anima, seruato ordine consimiliter fiat examẽ, sicuti in libris Logicalibus. Pro parvis tamen naturalibus nõ fiet examen, perinde rigurosum, sed problema, vel practicum, vel vulgare, vel iocosum proponetur. Pro Methaphysicis verò Licentiandus proponet quæstionẽ Methaphysicã, quã fundabit authoritate, & ratione, & contra illam examinatores singulis argumentis arguent. In Mathematicis verò suo ordine proponentur quæstiones sine argumẽtis, iuxta quatuor Mathematicas, scilicet Arismeticam, Geometriã, Perspectiuam, & Musicam. Pro tractatu de sphera vnica fiet interrogatio. Pro moralibus etiam fiet vnica, & vltima quæstio examinis, & hic finietur examen. Quo finito conuenient examinatores, & conferent inter se secreto, de idoneitate examinati, & posteaquam

quam omnes examinati fuerint compellentur à Cancellario, vel tenente vices Cancellarij, & ab examinatoribus componere epiſtolas, aut Verſus, vel Hymnos, ad probandum eorum ſufficientiam in libris humanitatis, denique ad probandam quoque eorũ humilitatem, & patientiam, facient eos ſedere in terra, & tũc examinatores ſoli cum Cancellario, poterunt conuitijs laceſſere, citra tamen omnem iniuriam, & ſeruata omni modeſtia, non ſurgant de terra, donec quæratur ſi placet omnibus circũſtantibus, quod promoueantur ad illum gradum. Etſi aliquis cõtra quempiam illorum opponat, allegando aliquam iniuriam irrogatam, non admittatur donec ſatisfecerit ad arbitriũ Cancellarij, & examinantium. Nullus etiam infamis, litigioſus, ſcandaloſus, aut inhoneſtus notabiliter ad talem gradum aſſumatur. Item, quod nemo admittatur ad examen licentiæ, niſi legitimè probauerit, ſe peregiſſe curſus præfatos in principio huius conſtitutionis, & fecerit reſponſiones magnas, & parvas.

CONSTITVTIO XXXVI.

de licentijs Artium, & earundem expenſis.

POſtquam peracta erunt examina Licentiandorum, die conſtituto à Cancellario, & examinatoribus, vt examinati Licentientur, idem Cancellarius, & examinatores in loco ad Licentias deſtinato, vbi poſtquam adiurati fuerint exãminatores, dabuntur cuilibet examinatori cedulæ omnium Licentiandorum, vbi eorum nomina ſcripta ſint, vt ſecretè eligant primum Licentiandorum, habendo principaliter reſpectum ad ſufficientiam literarum, poſtea ad mores, & pro primo loco dabit ſecretè quilibet examinator ſuam cedulam, & qui plures habebit cedulas, ille erit primus Licentiandorum, & ſcribetur nomen eius in principio rotuli conficiendi. Similis modus eſt tenendus in electione ſecundi, & cuiuslibet aliorum vſque ad finem rotuli. Quo per acto ſtatim fiant duo rotuli eiuſdem tenoris, quorum vnum retineat antiquior examinatorum, alterũ verò Cancellarius ponet in manu Bedeli, vel Secretarij. Et conuo-

catis omnibus Licentiandis per ſua nomina, ſecundum illum ordinem præſcriptum in rotulo, per vocem Bedeli ſedeant coram Rectore, & Cancellario in ſuo ordine, ad recipiendam licentiam, fietq́, iſte actus vbi Rectori, & Cãcellario, & facultati viſum fuerit expedire. Et cũ omnes vocati fuerint ſuo ordine, primus illorum nomine omnium faciat elegantem orationem, de laudibus ſcientiarum, maximè liberalium artium, & de laboribus ſuis circa illas facultates, & tandem ſupplicabit Cancellario humiliter pro Licentia ad magiſterium in eadem facultate. Reſpondebit etiã Cancellarius eleganti ſtilo, laudando facultatem illam, & ipſos Licentiandos, & tandem accepto iuramento eorum concludet faciendo eos Licentiatos, authoritate Apoſtolica ſibi conceſſa. Et dictis atque ſolutis gratijs Deo, & Cancellario per ſecundum Licentiatum, nomine aliorum omnium recedent in pace, & gaudio. ¶ Expenſæ autem perſoluendæ, antequam examen fiat ſunt duo floreni, æqualiter diuidendi inter quinque tentatores. Expẽſæ verò ſoluendæ poſt examen, ſed ante gradũ Licentiæ ſunt nouem floreni, ſic diſtribuendi. Duo floreni pro arca Vniuerſitatis. Pro facultate Artium alij duo. Pro ſuo Regente duo. Pro Cancellario vnus. Pro Bedelis vnus florenus. Item vnus pro Notario, qui teneatur ſibi dare literas Licentiæ vt moris eſt. Item iſte actus non fiet, niſi ſemel in anno, nec alio tempore quiſpiam admittatur ad Licentiam.

CONSTITVTIO XXXVII. de gradu Magiſterij, & eiuſdem expenſis.

POſt Licentias infra octo dies, primus Licentiatorum faciat Magiſterij ſui ſolemnia, nam inuitatis dominis, & amicis ſuum gradum decorantibus, conueniant omnes Decani, & Regẽtes omnium facultatuum, cum Rectore, & Cãcellario Vniuerſitatis, & omnibus alijs Magiſtris, & Doctoribus Vniuerſitatis, ad locum deſtinatum ab Vniuerſitate pro ſimilibus actibus conferendis. Vbi Cancellarius primo quæſtionem politicam proponet, Magiſtrando ſtatim corã

eo

eo capite detecto (q̄ũæ expectatoria dominorum inuitatorũ dicitur) deinde idem Cancellarius, vel tenens locum eius, habeat elegantẽ cõmendationẽ ſcientiarũ, & ipſius Magiſtrãdi. Tandẽ dabit ei gradũ, & imponet ei birretũ cum inſignijs Magiſtralibus. Quo accepto ſedebit iuxta Rectorẽ, & Cancellarium nouus Magiſter, & finiet ipſemet actum ſuum gratiarũ actionibus ad Deũ, & ad Cãcellarium, & Rectorem, & ad omnes Magiſtros. ¶ Expenſæ magiſterij ſic diſtribuentur, quod durãte actu Bedelus, Cãcellario, & Rectori, atque Decanis, & vniuerſis Regentibus omnium facultatuum, diſtribuet ſingulos birretos tantummodo, cũ chirotecis, & quilibet birretus valeat ad minus dimidium florenum, & chirotecæ valeant vnũ argenteũ. Et ſingulis Magiſtris, & Doctoribus non Regentibus, diſtribuantur chirotecæ, & non dabuntur iſta niſi præſentibus, & deferentibus inſignia ſuæ facultatis, propter decorem illius actus, vel egrotis in ciuitate, vel ocupatis in negotijs Vniuerſitatis, vel ſuarum facultatuum. Præter has expenſas ſoluet dictus Magiſter pro facultate duos florenos. Et pro ſuo Regente etiam duos. Pro Bedelis vnum florenũ. Et pro Notario alium florenũ. Et pro arca Vniuerſitatis duos florenos. ¶ Facto primo magiſterio, ſolius primi, deinde conſequenter, ſeruato ordine rotuli, poterunt bini magiſtrari. Soluat etiam Cãcellario vnum florenum. Item ſi aliquis Licentiatus in die, qui ſibi debetur, non fiat Magiſter, & aliquis, qui eum ſequebatur in rotulo fiat prius Magiſter, quam ipſe pręcedat ipſum, licet ſit poſterior Licentiatus.

CONSTITVTIO XXXVIII: de curſibus Bachalaureorum in Theologia.

QVoniam Theologica diſciplina artibus liberalibus vtitur pro ancillis, nemo admittatur ad curſandum in Theologia, niſi iam peregerit curſum artium liberalium completum. Volens igitur ad gradum Bachalaureatus Theologiæ peruenire debet quatuor annis fere audire lectiones Theologicas, ita videlicet, quod per maiorem partẽ

oo cuiuſ-

cuiuslibet eorum audiat ſub aliquo Regente lectiones Theologicas continuæ ex Cathedraticis eiuſdem facultatis, quod ſi fuerit Magiſter in Artibus ſufficient tres anni. Quibus curſibus probatis, facultas teneatur ſtatim vnum Doctorem Theologum aſſignare ad præſidendum in ſua diſputatione tentatiua, quæ fiat ſolemniter cum Codice, & arguant omnes Doctores Theologi, & omnes Bachalaurij eiuſdem facultatis cum ſuis inſignijs. Iſto actu peracto erit Bachalaureus in Theologia, pro iſto actu dabit Magiſtro Præſidenti vnum florenum. Cæteris Doctoribus eiuſdem facultatis, & Vniuerſitatis, arguentibus binos argenteos, & item Bedelis duos argenteos. Poſtquam ſic reſponderit de tentatiua, teneatur arguere in actibus Theologicis ſub pœna duorum argenteorum, tenebiturque ad lecturam Magiſtri ſententiarum, & incipiet legere poſt feſtum ſancti Lucæ. Secundus actus dicitur primum principium primi libri ſententiarum, ex eo quia materia illius ſolummodo concernit primum librum ſentẽtiarum, debet fieri ſub alio Præſidente, à primo quem habuit in tentatiua, ſignabiturque per facultatem, in quo habebit commendationem de laudibus Theologiæ, & declarationem alicuius quæſtionis pertinentis ad prooemium ſententiarum, fietque actus ſine Codice. Arguent contra eam ſupradicti Doctores, & Bachalaurei ſingulis medijs. Et erunt expenſæ tales, & tantę, ſicut in primo actu, qui dicebatur tentatiua diſputatio. Tertius actus eſt principium ſecundi libri ſententiarum, appellatur ſic ex eo, quod ſolum concernit materias ſecundi libri ſententiarum, præſidebit ei idem Doctor, qui, & in primo principio, & arguent ſoli Bachalaurij ſingulis medijs, nec ſoluet expenſas vllas in hoc ſecundo principio, niſi ſolis Bedelis, quibus dabit duos argenteos. Quartus actus dicitur tertium principium, ſic dictum, quia conſtare debet ex ſolis materijs tertij libri ſententiarum, eritque actus ſolemniſsimus ſimilis primo principio, & cum ſimilibus ſumptibus, ſed ſub alio Præſidente. In quo principio, quia efficitur Bachalaureus formatus in Theologia, vltra ea, quæ ſoluit in primo principio, Præſidenti, & Doctoribus arguentibus, dabit duos florenos pro arca Vniuerſitatis. Et duos pro arca facultatis. Et vnum florenum pro Notario Vniuerſitatis. Et alium florenum pro Bedelis. Et in hoc arguent Doctores, & Bachalaurei, de prima licentia duobus medijs alij vno medio. Quintus actus dicitur quartum principium, quia futurum eſt ex

nota

quarto libro,& vltimo ſententiarum,eritque ſine expenſis omni no ſimilis ſecundo principio,& ſub eodem Præſidente quem habuit in tertio principio,nam quilibet Doctor Præſidens tenetur pro vno floreno preſidere,aut dare Præſidentē pro duobus principijs. Durabit lectura Magiſtri ſententiarum,quam incipiet Bachalaureus poſt ſuam diſputationem tentatiuam, per annum cū dimidio. Et legatur vtiliter textus Magiſtri cum ſuis quæſtionibus,& notabilibus non prolixis. Poſtquam tempus elapſis quindecim diebus incipiet legere dictus Bachalaureus de Bliuia duos libros,vnum veteris,& aliud noui teſtamenti, quos ipſe adlibitū elegerit. Quibus præmittetur vnum principium, de laudibus ſacrarum literarum. Denique poſt ante dictum completū curſum duorum annorum ſequentium,debet Bachalaureus in Theologia facere tentatiuam diſputationem,& iuxta quatuor libros ſententiarum,quatuor principia,& in eodem ſpatio per annum cum dimidio legere de Magiſtro ſententiarum,& per reliquum dimidium de Bliuia ſicut dictum eſt.

CONSTITVTIO XXXIX. de curſibus Licentiandorum in Theologia.

EXpleta lectura ſentētiarum, & Bliuiæ per duos annos conſequenter Bachalaureus per alios duos annos,teneatur aſsiſtere omnibus actibus Theologicis,& arguere in eis ſub pœna duorū argenteorum pro qualibet vice. Teneatur etiā quatuor actus ſolemnes facere in hoc ſecundo bienio,ideſt quater reſpondere, & ſubſtentare quæſtiones horū: quorum actum primus dicitur quodlibeta de varijs materijs,tum Theoricis,tum practicis,ſub Doctore Præſidente, reſpondebitque quodlibetis ſingulorum Magiſtrorum, ad argumenta, & replicas eorum;tertio reſpondebit ad quodlibeta,quorum alterum ſine argumentis,alterum cum argumentis,nam fere fit, quod alterum ſit practicum,alterum ſpeculatiuum expenſæ huius actus ſunt ſimiles expenſis tentatiuæ. Secundus actus erit parua ordinaria de materia ſubtili, ſicut intētatiua,ſub Doctore Præſidente cū

ſuo

ſuo Codice memoriter, in quo actu arguent Doctores, & Bachalaurei omnes ſingulis medijs, expenſæ huius ſimiles expenſis primi. Tertius actus dicitur magna ordinaria, de materia morali poſitiua, & caſibus conſcientiæ, in quo actu ſub Doctore Præſidēte facto Codice, & memoriter recitato, arguent Doctores Theologi, & Bachalaurij de prima licentia duobus medijs, alij verò vno medio, expenſæ huius ſunt ſimiles prioribus. Quartus, & vltimus actus, dicitur apud Pariſienſes Sarbonica, apud Cōplutēſes Alphōſina, hic verò Carolina, actus hic ſit ſine Præſidente, eius materia ſit alta, & difficilis in Theologia, durabit per totū diem, fiet cū vno Bachalauro, qui dicitur prior illius actus, ad exercitiū Codicis memoriter recitandi, tā à Bachalauro (qui dicitur prior) arguente, quā a Bachalauro ſubſtentante. Poſtquā verò recitatus fuerit Codex ab vtroque, & argumēta Codicis reſpōderit Bachalaureus ſubſtentans, iſte Bachalaureus (qui dicitur prior) explicatis difficultatibus Codicis, replicabit vltimo tribus medijs cōtra quæſtiones, vel reſponſiones ſubſtentantis: deinde alij Doctores Bachalaurij formati arguent binis argumētis, cū ſuis replicis prolixe, alij verò ſingulis medijs arguent, nec tamen audiantur in replicis ſuis. Omnes iſti quatuor actus ſint ęquales in expenſis pecuniæ, excepto vltimo actu, quia nihil dabitur priori de rigore ſi nolet reſpondens. Item teneatur quilibet Bachalaureus Licentiādus in quolibet prædictorum annorum facere vnum ſermonem Latinum, coram tota Vniuerſitate in feſtis, ſiue per facultatem aſsignatis, vt aſſueſcant prædicationi ſanctarum ſcripturarum, qui præcipuus finis eſt Theologorum.

CONSTITVTIO XL. DE licentijs Theologorum.

PEr actis, expletis, decurſibus, actibusque ſupra dictis poſt Bachalariatum, atque etiam ſermonibus, omnes qui ſunt de eodē curſu præſententur facultati, & antiquior ex eis faciat orationem tendentem ad petitionem *abſolutionis*, ſiue à labore illo tam diuturno in exercitijs Scholæ Theologicæ. De quibus Bachalaureis, pro tunc expeditis à Concilio Doctorum, facultas diligenter examinabit. Primo

si eorum quilibet veraciter compleuerit omnes prædictos cursus, & actus suos. Secundo si est legitimus, ex verò matrimonio procreatus. Tertio, si est in sacris ordinibus cõstitutus. Quarto, si infamis, inhonestus, aut schandalosus, quoniam talis non erit ad licentiam quam petit admittendus. Vbi verò nullum tale impedimentum apparet in aliquo eorum, constituat eis omnibus simul facultas diem, & locum Licentiandi, vbi cõgregatis Doctoribus Theologiæ, cum Rectore, & Cancellario in conclaui per cedulas secretas fiat rotulus, continens Licentiandorum ordinẽ, modo supradicto in Licentijs Artium. Et immediatè citatis omnibus Licentiandis, coram Rectore, & Cancellario per Bedelum, vel secretarium legentẽ rotulum paulatim, & alta voce, fiant cætera omnia sicut in Licentijs Artistarum, vt prius dictum est. Iste actus est solemnissimus, & modo Parisiensi, non debet fieri nisi semel in duobus annis. Qui autem alio tempore Licentiam vellet ex nostratibus, non admittatur in hac Vniuersitate, quæ ad imaginem scholę Parisiensis, & Cõplutensis in liberalibus, & Theologicis constituta est. ¶ Expensæ cuiuslibet Licentiati Theologi in isto actu sunt hęc. Dabit arcæ Vniuersitatis duos florenos. Facultati Theologicæ quatuor florenos. Rectori simul & cuilibet Theologo vnum florenum. Cancellario duos florenos. Notario vnum florenum. Bedelis vnum florenum.

CONSTITVTIO XLI. DE Doctoratu Theologico.

POst dictas Licentias intra quindecim dies primus, Licentiatus teneatur recipere gradũ Doctoratus Theologiæ, & sic consequenter alij Licentiati per quindenos dies, se se consequentur in suis Magisterijs, nisi eorum aliquis dimitteret diem suum, quia tũc successor eius posset diem illum sibi vendicare, vt etiam circa Magistros Artium notatum est supra. Sed quilibet Magistrãdus per duos, aut tres dies ante debet facere suas Vesperias sub Præsidente, in quo actu prouideat ipse de vno studente in Theologia, qui respõdeat de quæstione expectatoria Magistrorum, & aliorum duorum concurrẽtium ad illum actum: deinde vnus de Magistris, aut Bachalaureis

Vni-

Vniuersitatis exponat terminos sui tituli eleganti sermone. Quo finito ipse vesperiandus respondeat per Codicem de materia graui, & magnifica. Tandem aliquis de Vniuersitate faciat vexamen iocosum, quo finito Præsidens in Cathedra faciat commẽdationem seriosam de virtutibus, & donis ipsius Licentiati. ¶ Expensæ soluendæ sunt. Pro arca sex aurei ducales. Pro facultate tres. Cancellario tres. Rector, & quilibet Doctor facultatis duos aureos habebunt. Reliqui Doctores singulos. Regentibus & Decano Artium cedet dimidium aurei ducalis. Magistris nõ Regẽtibus bini argentei. Notarius habeat ducalem cum dimidio. Bedeli ambo duos. Propina erit vt in alijs facultatibus. Patrino autem dabitur duplum, vt in reliquis facultatibus expressum est.

CONSTITVTIO XLII. de gradibus Collegalium Regalis Collegij.

Volumus etiam, quod in gradibus Bachalariatus, & Licentiæ, & Doctoratus in iure, Collegialibus Collegij Regalis remittatur tertia pars sumptuum, pro tali gradu requisitorum. Pro Theologis tamen mãdamus, quod omnes præsentes, & futuri, tam Regentes, quam non Regentes, tam Cathedrarij, quam non Cathedrarij, teneantur à primo anno sui ingressus in Collegium, inchoare, prosequi, cõtinuare, & absoluere actus requisitos ad gradum Bachalariatus, & Licentiaturæ. Et remittatur illis in Bachalariatu Theologię tertia pars expensarum, in gradu autem Licentiæ prædicta tertia pars remittatur, & insuper tertia pars omnium actuum Theologicorum, quos in hac Vniuersitate fecerint. Parimodo in gradu Doctoratus tertia pars remittetur. Qui si non inchoauerint, prosecuti fuerint, continuauerint, & absoluerint prædictos actus (vt dictum est) non possint gaudere, potiri, aut frui aliqua remissione.

CONSTITVTIO XLIII. de gradu Bachalariatus in Medicina.

ITem ſtatuimus,& ordinamus,quod nullus ſtudens in Medicina ad gradum Bachalariatus admittatur,niſi Bachalarius fuerit in Artibus, & Medicina per quatuor annos continuos audiuerint in Vniuerſitate famoſa,qualis eſt in Hiſpania,Salmanticenſis, aut Complutenſis , vel in noſtra,in quibus huiuſmodi facultas per Regentes publicè legitur: ſi verò fuerit Licentiatus in Artibus per tres annos ad minus: qui verò contra huiuſmodi conſtitutionis tenorem ad prædictũ gradum aſcẽdere præſumpſerit,& ſi gradus datus ſibi fuerit, nullatenus pro Bachalario habeatur. Rector autem, qui talem ſtudẽtem ad huiuſmodi gradum Bachalariatus admitti ſcienter fecerit,præter periurij reatum decem florenorum pœna, arcæ Collegij applicandorum irremiſsibiliter incurrat. Itaque primum ſtudens Rectori fidem faciat de prædictis curſibus , de quibus Rector Præſidi fidem faciat per Bedelum. Præſes verò eius facultatis Doctoribus aſsignet prædicto ſtudenti locum diem,atque horam pro tentatiua,in qua die Bachalariandus proponat quæſtionem,determinetque illam per tres concluſiones cum duobus corollarijs cuilibet earum adiunctis.Contra quã primò arguet Præſes apperiendo,& dilatando materiam, deinde Doctores, & Bachalaurei eiuſdem facultatis, duobus tantum medijs ſinguli, & ſint huiuſmodi concluſiones magis Theoricæ, quàm practicæ. Quod ſi Bachalariandus inueniatur ſufficiens, petito per ipſum gradu, elleganti oratione Præſidens concedat ei,aſcẽdatque Bachalaureus nouus Cathedram,& breuiter inchoata lectione, his quibus opus eſt gratias agat. ¶ Huius gradus ſumptus ordinarij ſunt. Pro arca Vniuerſitatis florenos duos. Facultati totidẽ. Doctoribus in Medicina arguentibus cuilibet argentos duos. Præſidenti florenum vnum. Bedelis florenum vnum. Notario alium dabit. ¶ Volumus tamen,quod poſt ſuſceptum gradum Bachalariatus,non dicatur Bachalarius formatus,nec habeat poteſtatẽ practicandi, quouſque per ſex menſes ad minus frequentauerit pra-

practica cum Doctore, aut Licentiato eiuſdem facultatis, nec dētur prius ſibi literæ Bachalariatus. Et ſtatuimus, quod prędictus Bachalaureus poſt dictum gradum, toto tempore quo fuerit in hac noſtra Vniuerſitate, teneatur arguere omnibus actibus publicis Medicinæ ſub pœna duorum argenteorum pro qualibet.

CONSTITVTIO XLIV. de gradu Licentiæ in Medicina.

STatuimus, quod nullus poſsit ſubire gradū Licētiæ, niſi poſt prædictum gradum Bachalariatus, in hac noſtra, aut Salmanticenſi, Compluтenſi, Valiſoletana, & Montiſpeſulani, Vniuerſitatibus tribus annis publicè legerit, aut practicando reſederit quocunque anno, pluſquam dimidiam partem anni. Erit autem lectio hoc modo diſtributa in primo anno de Canone Auicenæ legat. In ſecundo de aliquo libro Hypocratis. In tertio verò de Galeno. Quod ſi contigerit ante prædictos curſus ad gradum Licentiæ promoueri: ſtatuimus ipſo facto gradum eſſe nullum, & priuamus eum à conſimilis gradus receptione in perpetuum. Igitur, qui prædictum gradum Licentiæ aſcendere cupit, Doctoribus facultatis, & Vniuerſitati ſe præſentet, eisque fidem faciat de prædictis, Rectore præſente, qui examen facere teneatur, tum de dictis curſibus, tum de moribus, vita, & natalibus, prout aliàs dictum eſt. Conſtito autē de his omnibus aſsignet ei facultas diem, locum, atque horam, in quibus prædictus Licentiatus ſub Præſide legat lectionem, vnam de Auicena, & aliam de Arte, ex quarum ſuccinta expoſitione, eliceat concluſiones cum corellarijs, in quibus ſit magna copia, tam de Theorica, quam de practica Medicinæ, de quibus teneatur reſpondere omnibus Doctoribus, Licentiatis, & Bachalaureis eiuſdem facultatis per totum diem. Dabunturque eiſdem cōcluſiones tribus diebus ante prædictum gradū: & volumus, quod arguant duo Magiſtri facultatis Artium, quorum vnus ſit Decanus facultatis Artium, alius antiquior Magiſter poſt eum, ex Regētibus in Artibus, qui ſunt vel fuerint. Et volumus, quod hi Magiſtri reputentur de hac facultate quo ad omnia, hoc excepto, quod non percipiant aliquod emolumentum, nec arguant niſi in

præ-

prædicto actu, qui pro tentatiua statuitur, Nec possit arguere in examine priuato, nisi in defectu Doctorum Medicinæ sufficientium ad examen priuatum, quos volumus esse ad minus quatuor vltra Decanum facultatis: in quo casu statuimus, quod si deficiat vnus, loco eius Decanus Artium succedat, si duo vterque ingrediantur. Et pro isto actu dabit Licentiandus Præsidi florenũ vnũ, cuilibet Doctorum arguentium, & prædictorum Magistrorum Regalia quatuor. Bedelis Regalia quatuor. Post complementum huius actus Cancellarius eidem Licentiando assignare locum, pariter atque diem, in quibus facultas Medicinæ Cãcellario, & Rectore præsentibus, Missa Spiritus Sancti præcedente, idem Cancellarius in medio Doctorum sedens, in loco per ipsum deputato, iubeat Bedelo, vt deferat librum Canonis Auicenæ, & Artẽ, quorum librorum vnum det vni Doctori, alterum alteri, & quilibet horum Doctorum ter librum apperiat. Et in altera appertione Licentiandus eligat sibi materiam de qua legere voluerit. Et iuxta hoc Cãcellarius assignet eidem lectiones duas, quas sequenti die hora consimili legere teneatur. Assignatis prædictis punctis, sequenti die, loco, & hora signatis, Cãcellarius, Rector, & Doctores facultatis conueniant, & Bachalaureus examinandus, tunc incipiat legere lectiones statutas durantes ad minus per horam cum dimidia. Quibus lectionibus peractis examinetur à prædictis Doctoribus examine rigoroso, tam in Theorica, quàm in practica Medicinę iuxta lectionum materiam. Quibus omnibus, & singulis executioni mandatis; Cancellarius autem suscepto, prius à quolibet Doctorum iuramento, quod in Deũ, & propriam conscientiam super approbatione, & reprobatione examinati Bachalaurij veritatem deponent, scrutinium faciet, & Doctorum vota in birreto per cedulas clausas recipiat, in quibus ponant Doctores literam. A. si intendant Bachalaurum approbare, si autem non ponant literam. R. & mox à Cancellario, & Rectore, Doctoribusque præfatis præsentibus cedulæ prædictæ aperiantur, & coram Notario publicentur. ¶ Expensæ huius gradus erunt huiusmodi. Coniiciantur in arcam tres ducati. Pro facultate duo ducati. Rector, & quilibet Doctor eiusdem facultatis habeat vnum florenum. Et Cancellarius vnum ducatum. Reliquis Doctoribus aliarum facultatum, & Regentibus dentur terni argentei. Notario florenus vnus. Bedelis duo. Dabitur item Cancellario, Rectori, & Doctoribus eiusdem facultatis, singulis cep-

reus vnus quatuor librarum. Propina dabitur parimodò sicut in gradu Licentiæ in iure. Patrinus verò duplum eius accipiat, quod Doctoribus facultatis præbetur.

CONSTITVTIO XLV. de gradu Doctoratus in Medicina.

ITem statuimus, quod Licẽtiati volentes ad gradum Doctoratus in Medicina peruenire, ex quo iam examine rigoroso fuerint approbati, non teneantur ad alium actum rigurosum. Volumus autem, quod ad decorem tanti gradus, in die quo fuerint Doctorandi, vẽtilent, & discutiant publicè ad vtranque partem, aliquam subtilem quæstionem adlibitum, & eam decidant prout sibi visum fuerit, & decisa præfata quæstione, statim per aliquem degraduatis Vniuersitatis, fiet vexamen iocosum, & finaliter per Præsidem commendatio seriosa devirtutibus ipsius Doctorãdi, prout in similibus actibus fieri consueuit. Deinde eleganti oratione petat Doctorandus gradum à Cancellario, quem sibi Cancellarius in præsentia omnium circumstantium solemniter conferat, simili modo, & similibus ceremonijs, sicut in Doctoratu in iure dictũ est. ¶ Expensæ autem à Doctorando soluendæ tales erunt. In arcam mittantur octo aurei ducati. Facultati dabuntur quatuor ducati. Cancellario tres castellani. Rectori, & cuilibet Doctori facultatis duo castellani. Alijs Doctoribus vnicuique castellanus vnus. Decano Artium, & Regentibus octo argentei. Notario duo aurei ducati. Bedelis duo castellani. Magistris in Artibus terni argentei. Insuper Cancellario, Rectori, Patrino, Doctoribus, & Regentibus dabit birretum vnum, & par chirotecarum. Propina autem sicut expressa est in Doctoratu in iure. Patrinus autem in iuribus, & propina habebit duplum, similiter respectu Doctoris facultatis.

par

CONSTITVTIO XLVI.
de officio tabellionis.

ITem volumus, & mandamus, quod Notarius nostræ Vniuersitatis teneatur obedire Rectori suaque præcepta exequi, & adimplere Cancellarium, Doctores, Magistros, & Cathedrarios, cæterasque personas Vniuersitatis, prout consuetum est venerari, & honorari. Vltra hæc autem ad sequentia exercenda, & peragenda teneatur. Primũ, quotiescunque claustrum congregabitur Notarius intersit, & quidquid ab Vniuersitate decretum, siue ordinatũ fuerit in libro suo, quem ad id paratum debet habere, scribat, in quo quidem libro debent scribi, & contineri quota die, cuius mensis, aut anni, quid gestum, aut statutum sit. Item, & omnes actus, omnesque gradus cum suo ordine, tempore, & nominibus personarum exprimantur. Quem librum volumus in claustro custodiri, & obseruari, nec inde eum præfatus Notarius educere, aut expromere possit sine mandato, & licentia Rectoris. Rector autem ipse non possit talem licẽtiam illi præstare, nisi manifesta causa, aut necessitate exigente. Teneatur etiam cathalogum, seu matriculam omnium scribere, & penes se retinere. Item teneatur præsentiam suam exhibere in omnibus actibus publicis, vbi Vniuersitas cõgregatur, quorumque fides per ipsum Notarium faciẽda sit. Præterea in comittandis, deducendis, reducendisque Bachalaureis in Artibus, Licentiatis, Doctoribus, & Magistris, quibuscumque in processionibus, & pompis. Denique vbi & quoties Vniuersitas ipsa congregari, aut Rectorem cõmitari solet, & debet sub pœna præstiti iuramenti Rectori, & iurium illius actus sibi obuenientium, quæ arcę Vniuersitatis applicentur, vel sub alia pœna à Rectore imponenda. Item teneatur omnibus, qui gradum acceperint, & singulis titulos suos, & literas pro suis gradibus exhibere, nec pro his pretium vllum exigat, præter iura, quæ illi in prædictis gradibus præscripta sunt. Item ad Notarium ipsum spectat fidẽ facere de cursibus, & testes accipere quoties quis cursus suos probare voluerit, & in altero libro quem ad id habebit scribere. Et ne Vniuersitas nostra indebitis modis defraudari valeat, inhibentes

statui-

ſtatuimus,& expreſſe prohibemus tabellionem , ſiue Notarium noſtrum,ne cuiquā de ſcholaribus,vel Bachalaureis noſtræ Vniuerſitatis inſtrumenta,vel fidem de ipſorum curſibus ad gradum Bachalariatus,vel Licentiæ conferat,aut exhibeat , vt alibi quam in noſtro ſtudio,ac genitrice Vniuerſitate,gradus ſuos aſſumere valeat,pro quo inſtrumento faciendo,aut teſtibus accipiendis,ne Notarius pretium vllum exigat,ſi ſtatim gradus eſt conferendus, diſtricte prohibemus. Verum ſi quis ex Scholaribus , ſeu Bachalaureis ob penuriam teſtium,vel timorem abſentiæ , aut mortis eorum,voluerit multo ante tempus gradus ſuſcipiendi,teſtes aliquos exhibere,tunc pro vnoquoque teſte detur Notario dimidium argentei Ipſe autem Notarius prædictum inſtrumentum, penes ſe retineat, vt dictum eſt.

CONSTITVTIO XLVII.
de officio Bedelorum.

STatuimus etiam,quod Bedeli dicti ſtudij teneatur iurare obedientiam Rectoris, ipſique obedire,& ſua præcepta exequi,& adimplere Cācellarium, Doctores, Magiſtros,&Cathedrarios,cæteraſque perſonas , prout conſuetū eſt honorare in actibus gradibuſque. Et ibi perſonaliter,prout opus fuerit cum caduceo (quem mazam vocāt) vel ſine eo intereſſe,committari,& ſingula , quæ ab ipſis conſueuere fieri facere. Aliter verò facientes poſſint per Rectorem in iuribus illius actus,in quo negligenter ſe geſſerint mulctari , quæ mulcta arcæ Vniuerſitatis accreſcat. Rurſus mandamus , quod dicti Bedeli,quoties alicui illorum per Rectorem fuerit iniunctū ad clauſtrum conuocare,teneatur Cancellarium , Deputatos, Doctores, Magiſtros,vel quaſcumque alias perſonas,quas Rector iuſſerit conuocandas euocare,adſintque vbicunque Rector cum aliquibus de Vniuerſitate fuerint congregati , nec cuiquam ad eos liberè pateat acceſſus abſque ipſius Rectoris mādato. Præter hæc autē volumus,& mandamus,vt de cætero ſingulis diebus in Vniuerſitate vterque Bedelus interſit,hoc modo. Alteruter eorū tam manè,quam veſperi gimnaſia,in quibus Doctores Magiſtri , ſeu Licentiati,vel alij legere ſolēt viſitabit. Vt certius animaduertat,

&

& ſciat an Cathedrarij, & Regentes, quas lectiones exponere tenentur, ſtatutis, & integris horis incipiant, proſequantur, atque perficiant. Necnon an Scholaſtici cum debito ſilentio, atque attentione lectionibus interſint, an frequentes veniant, an ſemper Latine loquantur, an decenti, atque honeſto habitu incedãt. Qui ſi quando in aliquo iſtorum deficiant, admoneat eos, vt corrigãtur: ſi verò noluerint, Rectorem certiorem faciat, ne id impunitũ euadat: hoc viciſim vterque Bedelus ſua vnuſquiſque ebdomada faciat. Erit etiam illis curæ, vt clauſtrum, gimnaſia, ſeu aulæ, tam ſuperiores, quam inferiores, necnon, & primum inter colunium domus, cum omni area Sabbato cuiuſcunque ebdomadis ſcopis mundentur. Quod etiã facere curabit, quoties, aut actus aliquis ſolemnis, aut feſtum euenerit, prout Rectori Vniuerſitatis hoc iubere, atque iniungere viſum fuerit. Item vterque Bedelus ſua vnuſquiſque ebdomada, ſi feſtum aliquod ſolemne ocurrerit, teneatur tale feſtum indicere cum ſuo caduceo, verbis Latinis Vniuerſitati pridie ante tale feſtum, in aulis Theologiæ, iuris, & Medicinæ, qua hora Cathedrarij primarij legunt. Feſto autem non ocurrẽte in ebdomada feſtũ aſſuetum erit, quinta feria ebdomadæ, quod etiam prædictus Bedelus in dicere tenebitur feria quarta ante eadem hora. Quod ſi in prædictis, aut eorum aliquo culpa, ſeu defectus notabitur prædicti Bedeli, pro qualitate cõmiſsi, & ſententia Rectoris mulctetur. Ad munus etiã ipſorũ expectabit in omnibus congregationibus, vbi Vniuerſitas congregari ſolet, tam in gradibus, quã in proceſsionibus, & quibuſcunque alijs, omnes tã Doctores, quã Magiſtros, Licentiatos, Bachalarios, & Scholaſticos, tum in locis, tum etiam in ſeſsionibus ordinare.

CONSTITVTIO XLVIII. de fauore præſtando his, qui ſunt de Vniuerſitate.

PRæterea ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis de Vniuerſitatis gremio, contra eandem Vniuerſitatem, vel quempiam ſingularem de ipſa Vniuerſitate, alicui extraneo (quod Deus auertat) auxilium, vel fauorem, quouis modo impenderit, periurij pœna volumus ipſum

ſum illa quęari. Si autem amicos, vel fautores cum tumultu aliquo, vel ſtrepitu, & armorum concurſu adiuvauerit, vel commouerit, vltra pœnam periurij pro prima vice vnum ducatum aureum pro arca Vniuerſitatis, pro ſecunda quatuor ducatos, & per dimidium annum priuetur à clauſtro (ſi ſit perſona ſolita in illud intrare) pro tertia autem per totum annum à clauſtro ſit expulſus, & priuatus omnibus fructibus, & iuribus, qui illi illo anno obvenire poterant, vltra quam etiam pro arbitrio Rectoris puniatur.

CONSTITVTIO XLIX.
de honeſtate, & habitu omnium de Vniuerſitate.

DEcet profecto, vt qui honeſtiſsimum viuedi modum, hoc eſt literarum munus profitentur, honeſtatem etiam omnium maximam pręſeferant. Quare ſtatuendo prohibemus, vt nullus de Vniuerſitatis gremio arma geſtare, maximè in Scholis, congregationibus, & clauſtro. Contrarium verò facientes ipſo facto ea perdant, & in vtilitatem Rectoris, & Bedeli, qui prædicta arma detexerit cedant. Et talia arma deferentes ſi ea tradere noluerint, per ſententiam excommunicationis à Rectore ea reſtituere compellatur, à qua nequeat abſolui, donec delata arma præfato Rectori tradiderint. Itē quia ex veſte, aut habitu animus cuiuſque colligitur; prohibemus etiā ne quis ſcholarium, aut aliarum perſonarum de noſtræ Vniuerſitatis gremio, laicorum paludamentis (quas capas appellant) aut pileis (quas gorras dicunt) vtatur, non vmbelas, nec calceos, aut ſericeos, aut quorum *pellis ceſſuris* laniata, nō fœminalia, textis bombinicis per ſegmenta prominentibus, aut reliqua prophanorum indumenta, maximè in ſcholis, aut per gimnaſia geſtare videantur. Qui ſecus fecerint, ſi admoniti prius per Rectorē non obtēperauerint, in eandem pœnam incurrant, quā qui arma portauerint. Sed nec vllus Scholarium, vel quæuis alia perſona noſtræ Vniuerſitatis, cartarum pictarum, taxillorum, ſiue alearū lu-

dum exerceat,exponendo pecunias,vel aliud huiuſmodi.Cõtrarium verò facientes,in carcerem pro arbitrio Rectoris puniendi mittantur.Inſuper etiam ſtatuendo prohibemus, ne aliquis ſtudentium,vel alicuius aliorum de Vniuerſitate,ſeu officialium ab ea officium aliquod obtinentium,præſumat concubinam aliquã in domo propria,vel aliena in ciuitate Granatenſi, vel infra dictã ab eadem publicè tenere.Contrarium autem facientes,ſi ſtudens fuerit tempus per quod illam tenuerit, pro curſu ad gradum Bachalariatus nullatenus computetur.Et poſtquam talem dimiſerit a perceptione gradus præfati,per annum ſit ſuſpenſus. Si autẽ Bachalarius fuerit ab ingreſſu priuati examinis, & à licentia obtinenda,quandiu illam tenuerit alienus.Et poſtquam eam dimiſerit per duos annos ab eiſdem ſuſpenſus etiam exiſtat, & lecturæ tempus quo ipſam tenuerit, inter curſus eidem nullatenus computetur.Si autem Doctor,vel Magiſter fuerit, ad nullos Doctorales,ſeu Magiſtrales actus,quandiu eam tenuerit,& donec omni fraude ceſſante eam veraciter dimiſſerit,admittatur. Officialis verò officium,& illius anni ſtipendia perdat.Quilibet autem ſtudentium,& Bachalariorum non curſantium ad gradus recipiendos,ac Licentiatorum non intendentium recipere inſignia Doctoratus,vel Magiſterij,pœnam duorum florenorum, vnius arcæ Vniuerſitatis,& alterius Bedelo detexenti,& probanti applicandorum,pro quolibet menſe quo illam tenuerit, Rectori ſine quauis remiſsione ſoluere teneatur.Inſuper inhibemus vniuerſis, & ſingulis prædictis,ne ipſi,vel aliqui eorum,in domibus habitationum ſuarum mulieres aliquas, ſeu ſeruitrices de vitæ inhoneſtate manifeſte,vel vehementer ſuſpectas tenere audeãt, ſeu præſumant.Qui autẽ contrarium fecerint,& moniti per Rectorẽ infra monitionis terminum non admiſerint,aut cauſam rationabilem non allegauerint,ſupra dictas pœnas reſpectiue incurrant.

IN quorum omnium,& ſingulorum fidem, & teſtimonium has prædictas noſtras cõſtitutiones,pro regimine huius Vniuerſitatis Granatenſis fecimus,& publicari,ac obſeruari mãdauimus,noſtriſque nomine,& ſigilo muniuimus, & per Notarium infraſcriptum Secretarium noſtrum,& prædictæ Vniuerſitatis refrẽdari iuſsimus.Granatę anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo,die verò vigeſima octaua menſis Aprilis.Præſentibus ibidem per quam Reuerendo

Do-

Doctore Gundiſalvo Mathias prædictæ Vniuerſitatis Rectore, & Bernardino Manrique, & Didaco de Lorca Camerario noſtro, necnon Petro Hernandez Serrano, noſtri Hoſpitalis Rectore, Regalis Capellæ Capellano. Teſtibus ad præmiſſa vocatis. GASPAR GRANATENSIS. De mandato ſuæ Illuſtriſs. ac Reuerendiſsimæ dominationis. Ioannes de Valdes Secretarius.

HIS DENVO ACCESSERE HÆC.

CVm Reuerendiſsimus prædeceſſor noſter huius Vniuerſitatis authoritate Apoſtolica protector, circa vtilitatem, atque honeſtatem prędictæ Vniuerſitatis, optima ſtatuta, decretaq; ſcripta reliquerit: eorum quidem authoritati ſtandum, & parendum eſſe, æquum iuſtũque cenſemus. Cæterum quia pro temporis, & rerum mutabilitate, nobis etiam eadem authoritate Apoſtolica fretis, aliquà mutare, adere, detrahere, & interpretari, licet hæc inſuper pro ſalute, & commodo ſtudentium, ſtatuenda eſſe decreuimus.

CONSTITVTIO L. DE intermiſsione lectionum.

QVia continuus labor, vel ipſa aſsiduitate ſtudentium animos laxare, vel temporis incommoditate faſtidium, aut morbum etiam gignere ſolet: laboris autē commoda intermiſsione alacritas incenditur vires reparantur, etſi quà præ nimia feſtinatione amiſſa ſunt refici poſſunt, et nonnumquam etiam corpori vacãdum eſt, cuius fultura animus ſubſtinetur. Et quia idem in famoſis Hiſpaniæ Vniuerſitatibus ex ſimilibus cauſis fieri conſueuit. Volumus vt tam Magiſtris, atque Doctoribus, Cathedrarijs, quam Scholaſticis auditoribus, ſingulis annis per aliquot dies à legendi, ſiue audiendi labore interquieſcere, ſeu vacare liceat. Quoniam autem ſtiuum tempus ſtudentibus, maximè in feſtiuum eſt ſtatuimus, vt à feſto Viſitationis Diuæ Mariæ Virginis, hoc eſt à ſecunda die menſis Iulij, vſque

vsque ad festum Assumptionis eiusdem Diuæ Virginis, Cathedrarij Theologiæ, iuris, & Medicinæ nullã omnino lectionẽ legere teneantur, sed per totũ id tẽpus à legendo vacare possint. Regẽtes verò artiũ, pro studentiũ vtilitate, & congregatione, ab initio vacationũ, hoc est à die secunda mensis Iulij, vsque ad finẽ eiusdẽ mensis, legant dũtaxat primã lectionem matutinã, quæ durat horã & dimidiam, à cæteris autem lectionibus vacare, & super sedere possint. Reliquis verò quindecim diebus mensis Augusti, nullã penitus lectionẽ legãt. Porrò post festũ Assumptionis Diuæ Virginis; reddeant omnes ad lectiones intermissas, eo modo, quo ante prędictũ tẽ pus facere soliti erant. Volumus insuper, quod Regentes Artiũ Dominicis diebus legant primã lectionem matutinã per horã & dimidiã; vesperi verò ventiletur ab eis sophisma, vt hactenus soliti sunt facere. Omnibus autẽ festis diebus, legant primã lectionẽ matutinã per horam & dimidiam. Cæterũ in tribus solẽnitatibus Paschalibus nullã lectionem legant, præter quam in vltima die prædictorũ festorum, in qua lectionẽ matutinam per horam & dimidiã legere teneantur. In festis verò Circũcisionis, Epiphaniæ, feria quinta in Cœna Domini, cũ duabus sequẽtibus, in festo Ioannis Baptistæ in natiuitate Diuæ Virginis, à legendo sint immunes, neque aliquam lectionem legere teneantur.

CONSTITVTIO LI. IN qua exponitur. 27 constitutio de Licentiatis in iure eorũque cursibus.

DEcernimus etiam totius Vniuersitatis eflagitationibus moti, & aliquot rationibus impulsi, vt cõstitutio vigesima septima, quæ cursus eorum, qui ad gradum Licentiæ in iure promouẽdi sunt assignat, deinceps hoc modo intelligatur. Vt ex quinque cursibus, qui in prædicta cõstitutione præscribuntur, tres eorũ necessario præcesserint, quorũ nullus per Vniuersitatẽ remitti possit; de duobus autem reliquis, aut altero eorũ possit Vniuersitas dispensare, habita ratione dignitatis, & sufficientię eius, qui promouendus est. Ita tamẽ vt alter cursus vno ducati aureo redimatur, aut vterque duobus, quod pre

oo ph

tium

tium cedat in vtilitatē arcæ Vniuersitatis. Quod autē in prædicta constitutione cauetur circa cursus, vt Licentiandi probare teneātur, se legisse, practicasse, studuisse in aliqua Vniuersitate, siue audiētia ibidē expressis, sic intelligi volumus. Ne vnum eorū duntaxat, aut omnia simul absoluisse teneantur, sed satisfuerit si singula simul, vel omnia vicisim in vno loco, siue in pluribus mixtim, vel separatim se exercuisse probauerint.

CONSTITVTIO LII.

quod examini priuato Licētiandi intersint quatuor Doctores tantum cum Patrino.

